DE

COMMUNI

ASIÆ PROVINCIÆ

(ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

PAULUS MONCEAUX

OLIM ALUMNUS IN SCHOLA NORMALI

NUPER ATHÉNIS SOCIUS IN SCHOLA GALLICA

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXV

DE

COMMUNI

ASIÆ PROVINCIÆ

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE COMMUNI ASIÆ PROVINCIÆ

(ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

PAULUS MONCEAUX

OLIM ALUMNUS IN SCHOLA NORMALI

NUPER ATHENIS SOCIUS IN SCHOLA GALLICA

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXV

PATRI

SACRUM

PROŒMIUM

De provincialibus imperii romani conciliis, de provinciali Romæ et Augusti, de municipali Divorum cultu, multum est a doctissimis viris nostro tempore disputatum (1). Difficultates, in quibus adhuc hærent animi, arbitrati sumus longe majorem fore spem solvendi in Asia proconsulari, in ea scilicet provincia quæ prima Romam et Augustum et Divos aris et templis honoravit. Ut alia enim multa, quæ temporibus imperii romani viguerunt, instituta constat e ??

(1) Mommsen, *Berichte der sächs. Gesellschaft* (Leipzig, 1850). — C. Menn, *Ueber die römischen Provincial-Landtage* (Köln und Neuss, 1852). — Rein, *Pauly's Real-Encyclopädie*, II, p. 565 ; IV, p. 151 ; — Walter : *Geschichte des römischen Rechts* (3ª editio, Bonn, 1860), § 313. — Marquardt, *De conciliis imperii romani* (*Ephem. ep.*, I, p. 200-214). — *Staatsverwaltung*, I (1881), p. 503-516. — Willems, *Droit public*, p. 520-521. — Madvig, *Röm. Verfassung*, II, p. 723 ; — Mispoulet, *Inst. polit. des Rom.*, II, p. 99-103. — Boissier, *Religion romaine*, I, p. 150-158. — Fustel de Coulanges, *Inst. polit. de l'anc. France*, I, p. 86-96 et 105-107. — Bernard, *Assembl. prov. de Gaule* ; — Boissieu, *Inscr. de Lyon* ; — Desjardins, *Gaule romaine* ; — Perrot, *Compt. rendus de l'Acad. des Inscr.*, 1874, p. 137, 145 ; *Mélanges*, *Explorat. de la Galatie*, etc. — Duruy, *Hist. romaine* et *C. R. de l'Ac. des sciences morales et polit.*, t. CXV, 1881, p. 238-249, et 1882 ; — *Dict. des antiquités* (art. *Asiarcha*, *Bithyniarcha*, *Communia*, *Concilia*, etc.). — Pallu de Lessert : *Les assemblées provinciales et le culte provincial dans l'Afrique romaine*, etc., etc.

græcis regionibus esse orta ; sic Asiani Græci in colendis imperatoribus exemplum prætulerunt quod cæteræ deinde gentes secutæ sunt. Accedit quod de aliarum provinciarum conciliis paucissima tantum testimonia ad nos pervenere, de Asiæ autem proconsularis concilio et communibus sacerdotibus et templis tam frequens sit facta mentio tum in scriptoribus et apud Justinianum et alios tum in marmoribus inscriptis et nummis, ut insit magna difficultas, non inveniendi testimonia, sed eligendi et explicandi.

est /

Illud Asiæ provinciæ commune (Κοινὸν Ἀσίας) ut nemo hactenus singillatim tractavit, ita quondam Eckhel, nostro tempore Waddington, Lenormant, Perrot, Marquardt, Mommsen aliique summatim attigerunt (1). Quorum auctoritatem quamvis magni semper fecerim in his quæstionibus, sæpe tamen adductus sum ut ab eorum opinione recederem. Audendi mihi præsertim causa fuit, quod constat viros doctos, qui hactenus sunt de Asiæ communi locuti, diversorum temporum rationem non satis habuisse atque inde interdum erravisse : unde fit ut de neocoratu, de metropolibus, de asiarchia aliisque quæstionibus, in nullius sententia stare potuerim.

In prima operis parte exponitur quomodo sit Asiæ

(1) Eckhel, *Doctrina Nummorum*, t. IV (*De neocoris*, *de metropolibus*, etc., etc.). — Waddington, *Inscr. d'As. Min.*, n° 885 et p. 655 (*Fastes des prov. asiatiques*). — Lenormant, *Monnaie dans l'antiquit.*, t. III. — Perrot, *Voyage en Galatie, Mélanges*, *Dict. des Antiquités*, etc. — Marquardt, *Ephem. epigr.*, I, 200-214 ; *Staatsverwaltung*, I, p. 333 et suiv.; 504 et seq. — Mommsen, *Berichte der sächs. Gesellschaft* (1850) ; — *die Provinzen* (1885), p. 295 et seq.

commune constitutum ab Augusto, perfectum ab Hadriano et Antonino, ita mutatum a Severo et Caracalla ut jam inde ab initio tertii post Christum sæculi appareat mox fore ut Asia proconsularis, non jam secum constans, Phrygibus et Caribus et Lydis quasi renascentibus, diversas in partes abeat.

In parte operis secunda explicatur quidquid de communibus Asiæ provinciæ templis, sacerdotibus, asiarchis, ærario, ludis et concilio testantur scriptores antiqui, jurisconsulti, lapides et nummi.

In tertia ostenditur quomodo sit, Asia divisa, Asiæ commune dissolutum, constituta autem in singulis diœceseos asianæ partibus, apud Cares et Lydos et Phrygas et Mysos et Asianos proprie dictos, provincialia concilia; exponuntur quæ de illis quarti et quinti post Christum sæculi communibus tradantur; explicatur quid, in instituendis diœceseos asianæ conciliis et sacerdotiis, pagani a christianis, a paganis christiani mutuati sint.

Scribebam Icosii, 1885.

DE

COMMUNI ASIÆ PROVINCIÆ

PARS PRIMA

QUOMODO SIT ASIÆ COMMUNE CONSTITUTUM

CAPUT PRIMUM.

QUID IN CONSTITUENDO ASIÆ PROCONSULARIS COMMUNÌ EFFECERINT PRIMUM AUGUSTUS, DEINDE HADRIANUS ET ANTONINUS, POSTREMO SEVERUS ET CARACALLA.

Asiam provinciam, proconsularem dictam, quæ ex Mysia, Lydia, Caria et Phrygia constitit, Roma testamento Attali tertii (anno ante Christum 133) accepit, constituerunt autem Aquilius, Sylla, Murena, Lucullus, Pompeius, Cæsar et Augustus. Ut Asiæ provinciæ commune, quod dicitur « τὸ Κοινὸν 'Ασίας »,

liquet ad colendum Romæ et Augusti numen ab Augusto esse ratione certâ constitutum; sic tamen ex aliquot testimoniis deprehendi potest fuisse omnibus Asianis antè Augustum principem quædam communia concilia, ludos, templa (1). Nàm et, teste M. Tullio Cicerone, Q. fratri ut templum communibus impensis exstruerent, civitates Asiæ decreverunt; et ab Asianis in honorem Q. Mucii Scœvolæ ludi celebrari solebant (2); et, jubente M. Antonio triumviro, convenisse scimus Ephesum totius provinciæ legatos (3). Sed indè ab eo tempore, quo pro-

(1) Fuere quidem antiquitus multis Asiæ gentibus communia templa, communes ludi; et coire solebant civitatum Ioniæ legati in Panionion, Dorici in Triopion, alii in alia loca; et posteà frequentata sunt à pluribus templa in honorem Alexandri aut Lysimachi condita. Quæ autem Κοινά singillatim memorare alienum est à nostra materia. Diù enim ea fuit Romanorum mens ut ægrè tulerint ejusdem regionis civitates ad communia sacra et concilia convenire atque etiam, devictis Achæis, universa Græciæ Κοινά dissolvenda esse pronuntiaverint (Pausanias, VII, 16, 9; Diodor., XIX, 54). Cæsaris demum et Augusti temporibus, instaurata sunt nova communia, ad quæ conveniebant non jàm aliquot urbium aut unius regionis sed totius provinciæ legati. Proinde inter utriusque temporis Κοινά non inest similitudo, sed species tantummodo similitudinis; et in Asia provincia ludi, qui in singulis regionibus et ab Ionibus et à Phrygibus et ab aliis antiquitus celebrati erant, aut omninò aboliti sunt ab Augusto aut, quamdiù floruit τὸ Κοινὸν Ἀσίας, desueti pæne evanuerunt, secundo et tertio post Christum sæculo ad lumen redituri (cf. partem hujus operis tertiam, caput I, § 1). In constituendo igitur Asiæ provinciæ communi Augustus enisus est ut propria cujusque gentis communia aboleret et diversos populos concilium in unum misceret.

(2) Cicero, *ad Quintum*, I, 1, 26.

(3) Appian., *B. C.*, V, 4. Cf. Waddington, *I. d'As. Min.*, 142 : « Ἐφεσίων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων αἱ πόλεις αἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ κατοικοῦσαι καὶ τὰ ἔθνη Γαΐον Ἰούλιον Γαΐου υἱὸν Καίσαρα. »

consularis Asia ab Augusto constituta fuit, Asiani cœperunt certa ratione templa communia ædificare, certis in locis ludorum et sacrorum causa convenire, certo tempore legatos ad commune concilium eligere.

Asianis civitatibus singulis cùm essent sua numina propria, sui mores, sua studia, sua lingua, diversarum regionum incolæ unâ re tamen inter se cohærebant, scilicet quod eisdem dominis, eidem proconsuli parerent. Ad colendum Romæ et Augusti numen, id est ipsam imperii romani vim, per plura sæcula convenere civitatum totius Asiæ legati. Inaugurata ab Asianis illa religio deindè per universas imperii partes vulgata est. Nec parva laus est Augusto, flagitantibus blandè Asianis ut se sineret adorari, intellexisse quid fieri posset ex istis provincialium blanditiis ad provincias administrandas.

Nec Romam nec imperatores adorare in Asia proconsulari insuetum erat. Deam Romam quòd tempore punici belli prima omnium coluisset, Smyrna gloriabatur (1); Alabandæ jampridèm in honorem deæ Romæ instituti erant ludi, quorum apud Livium et Tacitum et in nummis fit mentio (2); templa et sacerdotes deæ Romæ exstitisse scimus et Eumeniæ et Sardibus et Assi et Peperenæ et Pitanæ et Ilii (3),

(1) Cicero, *pro Flacco*, 25.

(2) Liv. XLIII, 6. Tacit., Ann. IV, 56. Eckhel, II, 571.

(3) Eumeniæ (*C. I. G.*, 3887). Sardibus (Μουσεῖον τῆς εὐαγ. σχολ. ἐν Σμύρν., 1880, p. 182). Assi (Waddington, *I. d'As. Min.*, 1727). Peperenæ (Mionnet, *Mysie*, 700). Pitanæ (*ibid.*, 719). Ilii (Mionnet, *Troade*, 206).

Pergami etiam sacerdotem Romæ et Salutis (1), Philadelphiæ et in insula Co ludos romanos (2). Ut Alexandro magno (3), Lysimacho (4), Attalis (5), consecrata erant templa et ludi, ità Flaminini in Græcia (6), Marcelli in Sicilia (7), Mucii (8), Q. Ciceronis (9), Theophanis historiarum scriptoris (10) in Asiâ fuit numen adoratum, ità ut proconsulum etiam singulæ virtutes deorum numero collocarentur (11). Post pugnam actiacam Octavianus Ephesiis concessit ut divo Julio templum statuerent (12); divi Julii flamines creati sunt Cibyræ, Assi, in colonia Augusta Alexandria Troade (13). Item deinde flamines Augusti, Claudii, Titi, Nervæ, sacerdotes Augustorum aut domus Augustorum (τοῦ σύμπαντος Σεβαστῶν οἴκου) instituti sunt in plerisque Asiæ civitatibus, Pergami, Lampsaci, Acmoniæ, Peperenæ, Magnesiæ ad Sipylum, Bargyliæ, Thyatiræ, Æzanis, Aphrodisiade, in coloniis Julia Pario et Augusta Alexandria Troade (14).

(1) *C. I. L.*, III, 399.
(2) Philadelphiæ (*C. I. G.*, 3424). In insula Co (*Bull. corr. hell.*, V. p. 232).
(3) Strabo, XIV, p. 953.
(4) *C. I. G.*, 2741, 2759, 2785.
(5) *C. I. G.*, 2801.
(6) Plutarchi, *Flaminin.*, 23.
(7) Cicero, *in Verrem*, II, 21 et 63.
(8) *Ibid.*, 22.
(9) *Id.*, *ad Quint.*, I, 1, 26.
(10) Tacit., *Ann.*, VI, 18.
(11) Cicero, *ad Quint.*, I, 1, 26.
(12) Dio, LI, 20; *C. I. G.*, 2957.
(13) Cibyræ (Waddington, 1212). Assi (idem, 1033); in coloniâ Augusta Alexandria Troade (*C. I. L.*, III, nº 386).
(14) Pergami (Mionnet, *suppl.*, V, p. 446). Lampsaci (Spon, *Voyage*, III,

Δοινόν

In honorem divi Julii, Augusti, Agrippæ, C. Cæsaris junioris, Trajani ludos fundaverunt Pergamum, Ephesus, Thyatira, Cos, Sardes, Halicarnassus, multa municipia (1).

Proindè et deæ Romæ et multis Romanis templa et ludi fuerunt consecrati et antè et post principem Augustum. Hoc autem est Augusti proprium quòd, ut ait Suetonius, a nulla provincia templum sibi dedicari passus est « *nisi communi suo Romæque nomine* (2). » Unde factum est ut provinciarum ludi et concilia, quæ eatenùs ex libidine et casu creata erant aut interrupta, jàm certa ratione starent.

Primum Romæ et Augusto templum ab universis Asiæ civitatibus Pergami dedicatum est anno ab urbe conditâ 735 (3). Eodem tempore constituta sunt provincialium Asiæ concilia et ludi; nàm et testes sunt Taciti Annales civitatum Asianarum legatos, primis annis Tiberii principatûs, liberè de rebus publicis egisse (4), et jàm principe Augusto memorantur illi

p. 93). Acmoniæ (Waddington, 755). Peperenæ (Mionnet, *suppl.*, V, p. 483). Magnesiæ ad Sipylum (Mionnet, IV, p. 72). Bargyliæ (*Bull. corr hell.*, V, 192). Thyatiræ (*C. I. G.*, 3504). Æzanis (*C. I. G.*, *add.*, 3831 a[11]). Aphrodisiade (Waddington, 1602). In colonia Julia Pario (*C. I. L.*, III, n° 376). In colonia Augusta Alexandria Troade (*C. I. L.*, III, 386)., etc., etc.

(1) Ludi Pergami (*Annali di corr. arch.*, 1865, p. 28). Ephesi (Wood, *Inscr. fr. the theatre*, 12). Thyatiræ (*C. I. G.*, 3206, 3498). In insula Co (*Bull. corr. hell.*, V, p. 230). Sardibus (*ibid*). Halicarnassi (*Bull. corr. hell.*, 1881, p. 230), etc., etc.

(2) Sueton., *Octav.*, 52.

(3) Tacit., *Ann.*, IV, 37. Dio, LI, 20. Eckhel, VI, p. 101.

(4) Id., *Ann.*, IV, 15, 37, 55, etc.

ludorum Asianorum præsides qui dicuntur *Asiarchæ* (1). Devicto Antonio scimus Octavianum in Asiâ commoratum fuisse qui provinciam ab Antonio vexatam componeret (2); eo tempore icti sunt cistophori in quibus hinc legitur « *Cæsar Imp. VII*, » hinc « *Asia Recepta* (3). » In nummis autem pergamenis stat Augustus in templo inscripto « Θεὸν Σεβαστόν », in aliis fictum est deæ Romæ caput inscriptum « Θεὰν Ῥώμην (4). » Quin etiam, monetarum maximi moduli aut aurearum aut argentearum in altera parte videre est « *Imp(erator) IX TR(ibunitiâ) Po(testate) V* » et Augusti caput, in alterâ « *Com(mune) Asiæ* » et templum hexastylum, cujus epistylio inscriptum est « *Rom(æ) et August(o)* (5). »

Principe Tiberio, anno ab urbe condita 770, multis civitatibus Asiæ, quæ motibus terræ fuerant eversæ, imperator summa diligentia tulit opem (6). Cujus beneficii in memoriam et icti sunt nummi inscripti « *Civitatibus Asiæ restitutis* (7); » et restitutæ civitates communibus impensis dedicavere in foro romano, non procul à templo Veneris, imperatoris colossum, quem circùm adstabant ipsarum urbium statuæ (superest quidem simile marmor, Tiberio

(1) Strabo, XIV, p. 649.
(2) Dio, LI, 18.
(3) Eckhel, VI, p. 82. Cohen, *Monn. imp.*, I, p. 48, n° 50.
(4) Mionnet, *Mysie*, 534, 541, 493.
(5) Eckhel, VI, 100; II, 466. Cohen., *Monn. impér.*, I, pp. 45-47.
(6) Tacit., *Ann.*, III, 56.
(7) Eckhel, VI, 192.

consecratum, Puteolis inventum (1); et, anno sequente, ut ait Tacitus in Annalibus, « decrevere » Asiæ urbes templum Tiberio matrique ejus ac se» natui. » Sed cùm ambigerent undecim urbes « quâ» nam in civitate templum statueretur », legatos Romam misêre Asiani; de hac re actum in senatu, audiente principe, et Smyrna vicit (2). Cujus monumenti vestigia etiam in nummis smyrnæis agnoscere est (3).

Caligula celeberrimum Apollinis Milesii templum suo ipsius numini vindicavit. Divus Claudius in municipiis Asiæ pluribus adoratus est, et in nummis, qui Claudii capite ornati sunt, inscriptum est « *Com(mune) Asi(æ)* » et effictum templum distylum in quo mulier stans et cornu copiæ tenens imperatorem paludatum et hastatum adstantem coronat; in peristylio templi legitur « *Rom(æ) et Aug(usto)* (4). » In nummis Neronis primùm memoratur Ephesi neocoratus (5), quem concessum esse in honorem gentis Juliæ mox confirmabimus. In nummis Nervæ et Trajani memorantur « *Asiæ commune* » et provincialia Asiæ proconsularis templa inscripta seu « *Romæ et » Augusto* » seu « Ῥώμῃ καὶ Σεβαστῷ (6). » Sub iis-

(1) Phlego Trall., *De reb. mirab.*, 13. Plin., *H. N.*, II, 86. — Jules Martha, *Manuel d'arch. étrusque et rom.*, p. 205.
(2) Tacit., *Ann.*, IV, 15, 37, 55, 56.
(3) Eckhel, II, p. 547. Lenormant, *Monn. dans l'antiq.*, II, 177.
(4) *Id.*, VI, 245. Cohen, I, p. 157.
(5) Eckhel, II, 520.
(6) *Id.*, VI, 410, 444. Cohen, I, p. 466; II, pp. 3-4.

dem principibus concessus est primus Smyrnæ neocoratus (1), qui, nostrâ quidem sententiâ, in honorem gentis Flaviorum creatus est. Sed Asiæ commune constat, ut ab Augusto institutum, sic ante principes Hadrianum et Antoninum ferè nihil esse mutatum.

Comment pouvez-vous dire qu'il n'y a pas eu de changements ? Vous n'avez fait que citer les documents qui prouvent l'existence de temples, et voilà tout !

Hadrianus multùm in Asia proconsulari commoratus est. In nummis ejus imperatoris capite ornatis efficta est « *Asia* », mulier dextro pede proræ navis insistens, dans acrostolium (2); in aliis inscriptis « *Adventui Aug(usti) Asiæ S(enatus) C(onsulto)* », imperator togatus et mulier sacrificantes (3); denique in aliis inscriptis « *Restitutori Asiæ S(enatus) C(onsulto)* », imperator figuram sublevat muliebrem capite radiato et sceptrum gerentem (4). In Asia scimus Hadrianum « iter facientem condidisse templa « sui nominis (5) », præsertim apud Cyzicenos, à quibus deus appellatus est *tertius decimus* (6). Ludi in honorem Hadriani instituti, scilicet « Ἁδριάνεια », in marmoribus Cyzici, Ephesi, Smyrnæ sæpiùs memorantur (7). Asianus quidam laudatur in lapide utpote « agonotheta electus ab imp. divo Marco cer» taminis sacri Hadrianeion Ephesi (8). » Tei quo-

(1) Eckhel, II, 559.
(2) Cohen, II, p. 347. Eckhel, VI, 492.
(3) Cohen, II, p. 174.
(4) *Id.*, II, p. 236.
(5) Spartian, *Vita Hadriani*.
(6) Socrat., *Hist. eccles.*, III, 23.
(7) Cyzici (*C. I. G.*, 3665, 3675). Ephesi (3208, 3428, 5916, 5913, 2810, 1731, 2987b). Smyrnæ (3148, 3174, 5913).
(8) *C. I. L.*, III, 296.

que in Ionia fuit quidam « ἀρχιερεὺς » Hadriani (1). Quot beneficia contulerit princeps in Smyrnæos (2) aliasque urbes, testantur scriptores et marmora; plures etiam civitates imperatoris nomen pro suo vetere nomine mutaverunt, inter quas Cyzicus, Smyrna, Stratonicea. Proconsulem Asiæ præfecit Hadrianus Antoninum, qui deinde, et ipse imperium adeptus, provinciæ suæ recordatus est. Nàm exstant nummi icti anno 139, qui principis Antonini capite signati sunt et inscripti « *Asia* (3); » et plures urbes terræ motibus labefactatas imperator restituit (4); » et ludi creati sunt Laodiceæ ad mare, scilicet « οἰκουμενικὸς Ἀντωνειωιανὸς ἀγών (5); » et, quæ Hadrianus in Asia mutare inceperat, Antoninus permutavit.

Principibus Hadriano et Antonino τὸ Κοινὸν Ἀσίας esse dicam (quanquàm hæc duo verba inter se concordare non videntur) confirmatum simul et labefactatum : confirmatum quidem, quòd et majorem potestatem esse eis temporibus concilio Asiæ communi attributam testantur et Hadriani decreta « *de legationibus* (6), » et Hadriani, Antonini, M. Aurelii *rescripta* ad Κοινὸν Ἀσίας *de medicis publicis*, *de Christianis* aliisque rebus memorandis (7); labefactatum verò,

(1) Waddington, *I. d'As. min.*, 96.
(2) Philostr., *Vita Polemonis*.
(3) Eckhel, VII, 4.
(4) Capitolin., *Vit. Antonini*.
(5) *C. I. G.*, 4472.
(6) *Dig.*, L, VII, *De Legationibus*.
(7) Modestinus, *Dig.*, XXVII, 1. Euseb., *H. E.*, IV, 13. Ulpian., *Dig.*, I, 16, 4.

quòd constat Antoninis principibus debilitatum esse id commune vinculum quo regiones et natura et moribus et linguâ diversæ in unam et eamdem provinciam fuerant conjunctæ. Quod intelliges, si respicies ad *metropoles* et urbes *neocoras*. Nàm et Hadriano statuam dedicavit « ἡ Μητρόπολις τῆς Ἰωνίας Μιλησίων » πόλις (1); » et in Lydiâ Thyatira à Ptolemæo utpote *metropolis* memoratur (2); et apparent in nummis M. Aurelii et Commodi « τὸ Κοινὸν Λεσβίων (3), » in nummis Antonini et M. Aurelii « τὸ Κοινὸν ΙΓ' πόλεων, » id est Ionum commune (4); et, Commodo principe, Smyrna gloriari incipit *metropoleos* titulo (5). Age verò, in quodam lapide Smyrnæo legitur factum esse, principe Hadriano, « δεύτερον δόγμα συγκλήτου » καθ' ὃ νεωκόροι γεγόναμεν, » id est *senatusconsultum* quo confirmatus est primus Smyrnæorum *neocoratus* (6). Ut antè Hadrianum sola Ephesus gentis Juliæ « νεωκόρος, » sola Smyrna gentis Flaviæ, appellata erat; ità, principibus Hadriano et Antonino, concessus est Cyzico, Philadelphiæ, Sardibus, Nysæ, Pergamo primus *neocoratus*, Epheso et Pergamo alter; quod ità intelligendum confirmabimus, scilicet *sodales Hadrianales* in omnibus illis civitatibus fuisse institutos (7). Præsertim insignis est nummus, Faus-

(1) *C. I. A.*, III, 480.
(2) Ptolemæi, *Geog.*, V, 2, 16.
(3) Mionnet, *Lesbos*, 20, 21, 22.
(4) Id., *Ionie*, 1, 3, 4, etc.
(5) *C. I. G.*, 3202, 3206.
(6) Eckhel, II, 559. *C. I. G.*, 3148.
(7) De neocoratu vide *caput* II, § 1.

tinæ quidem junioris capite ornatus, in quo prima Cyzicenorum *neocoratûs* mentio fit; nàm in prora triremis, quæ insignibus legionum prælucet, inscripta sunt verba « Χαῖρε, πόλι : » quæ ad adventum imperatoris referenda sunt (1). Antonino etiam principe icti sunt Ephesi nummi in quibus legitur « Ἐφεσίων — Κοινὸν Ἀσίας (2). » Eodem Antonino, et posteà M. Aurelio principe, Claudio Frontoni, summo Ionum sacerdoti et *asiarchæ* totius provinciæ, privilegio quidem singulari, concessum est ut nummos maximos suo nomine signaret (3). Quibus ex indiciis deprehendi potest, principibus Antoninis, non jàm stare inter se diversas Asiæ proconsularis partes, et inde ab altero sæculo apparere mox fore ut ex singulis Asiæ partibus tot provinciæ constituantur, quot olim fuere diversæ regiones.

Vinculum, quo fuerant conjunctæ proconsularis Asiæ partes et constitutum « τὸ Κοινὸν Ἀσίας, » Antonini debilitaverunt, Septimius Severus et Caracalla pænè fregerunt. Circà finem alterius sæculi et initium tertii, multi creati sunt in variis civitatibus Augustorum ludi municipales, Mileti, Pergami, Smyrnæ « Κομμόδεια (4); » Cadis, Thyatiræ, Trallibus « Ἀυγούστεια (5); » Sardibus, Thyatiræ, Augustæ Cæsareæ « Σεβήρεια, Σεβήρειος ἀγὼν, Σεουήρειος οἰκουμενι-

(1) Mionnet, *Mysie*, 193.
(2) Eckhel, II, 521.
(3) Mionnet, III, p. 61; *suppl.*, VI, p. 79.
(4) *C. I. G.*, 2882, 2885[c] *add.*, 3208, 1720.
(5) Eckhel, IV, 436.

» κὸς πυθικὸς ἀγών (1) ; » Sardibus « Φιλαδέλφεια » pro concordia Caracallæ et Getæ (2) ; » Aphrodisiade « Γορδίανα (3). » Omnes autem qui post Commodi mortem imperium adepti sunt, præsertim studuerunt ut pro legitimis Antoninorum successoribus haberentur. Quare et Antoninorum nomen sibi omnes vindicaverunt, et eorum nomine ludos (exempli causâ, « τὰ Ἀντωνείνια » Cyzici Caracalla principe fundata) (4) instituerunt, et curaverunt ut in multis Asiæ civitatibus ad numen Antoninorum gentis adorandum collegia sodalium crearentur. Ad illa *sodalium Antoninianorum* collegia pertinere existimo civitatum *neocoratus* à Septimio Severo aut Caracalla concessos, primum Laodiceæ, Acmoniæ, Mileti, Trallium, alterum Sardium et Smyrnæ, tertium Ephesi et Pergami (5). *Metropoleos* quoque titulo gloriari incipiunt principe Severo Sardes, Caracallâ Pergamum, Lampsacus, Cyzicus (6). Eodem ferè tempore in singulis proconsularis Asiæ regionibus concilia singula demonstrabimus esse vel constituta vel restituta (7). Constat proconsularem Asiam et ætate Diocletiani in plures provincias jàm fuisse divisam, et ætate Caracallæ vix constare secum, inter utrumque tempus esse dissolutam.

(1) *C. I. G.*, 3503, 4472. Eckhel, III, 117; IV, 453.
(2) Eckhel, IV, p. 450. Dio, 77, 1.
(3) Eckhel, IV, p. 435. *C. I. G.*, 2801.
(4) Eckhel, IV, p. 434.
(5) De neocoratu, vide *caput* II, § 1.
(6) De metropolibus Asiæ, vide *partem* III, *caput* I, § 2.
(7) Vide *partem* III, *caput* I, § 1.

CAPUT II.

QUIBUSNAM EX CIVITATIBUS CONFLATUM SIT ASIÆ COMMUNE.

Quo tempore et à quibus principibus sit Asiæ commune constitutum et perfectum, jàm exposuimus; nunc est inquirendum quænam Asiæ provinciæ civitates in communium sacrorum partem adscitæ sint. Nàm vulgo dicitur (1) Asiæ provinciæ synedros vel ab eis civitatibus solis electos esse, vel in eas solas convenisse, quæ neocoratûs jure fruerentur. Quarum opinionum alterutri adeò non possumus assentiri ut contrà, testibus et nummis et marmoribus, pro certo habeamus nequaquàm ad provincialem Romæ et Augusti, sed semper ad municipalem Augustorum religionem neocoratus esse referendos Quæstiones de communi Asiæ malè attigerimus, nisi priùs comprobaverimus, de illo civitatum neocoratu, qui totiès in Asia occurrit, quid nostrâ quidem sententiâ sit judicandum.

(1) Eckhel, *Doctrina nummorum*, IV, 288 et seq. : *De neocoris*. Pauly, *Real Encyclopädie* (1848), sub verbo *neocori*. Marquardt, *Staatsverwaltung*, I (1881), p. 504; *Cyzicus und sein Gebiet*, p. 84. — Krause, Νεωκόρος (Lipsiæ, 1844).

§ 1.

Civitatum Asiæ neocoratum non ad provincialem cultum Romæ et Augusti, sed ad municipalem Augustorum pertinere.

Multas Asiæ civitates constat communium provinciæ sacrorum fuisse participes, quæ nunquàm « νεωκόρους » aut in nummis aut in marmoribus sese dixere. Asianorum autem animis tàm altè insitus erat titulis suis gloriandi mos, ut, quibus titulis nunquàm gloriati sint, concludi possit eos semper caruisse. Abydo enim et Hypæpa et Magnesia et ex aliis multis ignobilibus locis asiarchas et provinciæ sacerdotes scimus oriundos esse, quæ quidem civitates nunquàm ad neocoratus dignitatem evectæ sunt (1). Quin etiam, cùm sexaginta civitatum legati ad lugdunensem Romæ et Augusti aram convenirent, in Asiâ, scilicet in provinciâ multò frequentiore et divitiore, non admitti potest civitates non magis quàm undecim aut duodecim provincialibus sacris interfuisse.

Nec magis in altera opinione standum est, quâ νεωκόροι existimantur civitates apud quas fuerant erecta templa provinciæ communia. Nàm nec congruunt neocorarum numerus et nomina cum nomi-

(1) Mionnet, *Suppl.* V, p. 504. Eckhel, IV, 207. *C. I. G.*, 2912.

nibus et numero civitatum ubi celebratos esse liquet communes Asiæ ludos ; nec usquàm è tot nummis et marmoribus deprehendere licet ad Asiæ commune pertinere neocoratum ; nec unquàm in monumentis civitates atque homines sese dicunt neocoros Romæ et Augusti, semper autem Augustorum ; illa est autem totius provinciæ religio, hæc verò tùm in Oriente tùm in Occidente municipalis. Accedit quòd et Smyrna et Pergamum, quas quidem civitates certissimum est, testibus scriptoribus et nummis (1), indè ab Augusti et Tiberii tempore communibus provinciæ templis esse potitas, non antè principes Trajanum et Antoninum neocoratu suo superbire incipiunt.

Age verò, si neocoratus ad Asiæ commune utrolibet modo pertinuisset, non satis intelligitur quam ob causam civitates quædam uno, quædam altero, Cyzicus et Pergamum et Sardes et Smyrna tertio, Ephesus etiam quarto neocoratu exsultarent ; nec potest explicari cur neocoratus numero crescant in nummis primùm Hadriani, deinde Antonini, postremò Severi et Caracallæ.

Quòd si de his quæstionibus hactenùs hæserunt viri docti et sagaces, existimo præcipuam esse causam quòd universi neocoratum ad provinciæ cultum referre conati sunt. Nunc autem, ut in Africa et Hispania aliisque regionibus municipales Divorum flamines et in ipsa Urbe plura collegia, Sodales sci-

(1) Vide suprà, *caput* I.

licet Augustales et Flaviales et Hadrianales et Antoninianos constitutos esse certissimum est (1); ità simili ratione explicandum esse persuasum habeo civitatum Asiæ provinciæ neocoratum.

Jàm ante subactam Asiam *neocori* plures appellabantur populi, numinis quisque sui; nàm et Magnesia Ioniæ dicitur in nummo : Μαγνήτων νεωκόρων τῆς Ἀρτέμιδος (2), atque etiam romani imperii tempore Ephesii appellantur : δὶς νεωκόροι καὶ τῆς Ἀρτέμιδος (3). Exempla plura non addam : jàm ponere satis sit illo titulo non communem multarum civitatum, sed propriam unius civitatis religionem antiquitùs in Asia significari.

Proindè, ut in marmoribus et nummis civitatum neocoratus nusquàm ad provincialem Romæ et Augusti cultum pertinet, ità nunquàm non sese appellant νεωκόρους τῶν Σεβαστῶν, id est flamines Augustorum. Legitur enim in lapidibus et nummis :

Ephesiis : « Ἐφεσίων πόλεως δὶς νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν, » item : « τρὶς νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν (4); »

Smyrnæis : « δὶς νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν Σμυρναίων πόλις, » in aliis : « τρὶς νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν (5); »

(1) E. Desjardins, *Rev. de philol.*, n. série, III, p. 33-63 : *Le culte des Divi et celui de Rome et d'Auguste.* Dessau, *De sodalibus et flaminibus augustalibus; Ephem. epigr.*, III, p. 205-229. Marquardt, *Staatsverwaltung*, III, p. 451 et seq. Pallu de Lessert, *Les assemblées provinciales et le culte provincial dans l'Afrique romaine*, 1884.

(2) Eckhel, II, 527.

(3) *Id.*, II, 520.

(4) *C. I. G.*, 2968, 3179[d], 3197. *C. I. L.*, III, 6076, etc.

(5) *C. I. G.*, 3202 et seq. Eckhel, II, 559.

Trallianis : « πόλεως τῆς νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν ; » in aliis : « νεωκόρων τῶν Σεβαστῶν (1). »

Ne plura addam, quotiès neocoratus civitatum explicatur, totiès subjunguntur hæc verba « τῶν Σεβαστῶν » vel nomen alicujus Augusti. Simili ratione, omnes homines qui dicuntur in nummis aut in marmoribus « νεωκόροι » aut Augustorum aut cujusdam Augusti aut patriæ suæ, municipalibus muneribus functos esse facilè constat (2). Undè apparet et neocoros homines in Asia non multùm ab illis differre qui in occiduis imperii romani partibus appellantur municipales flamines, interdum etiam in Oriente « σεβαστοφάνται ; » et civitatum neocoratum ad quemdam municipalem Augustorum cultum pertinere.

Hoc manet explicandum quomodò factum sit ut, cùm videatur Augustorum numen ubique in Asia fuisse adoratum, paucæ tamen civitates neocoratum præ se ferant. Quod clarescet, ubi hæc tria statuerimus :

1° Non nisi ex senatusconsulto neocoratum unum aut plures civitatibus Asiæ contigisse. Legitur enim in marmoribus et nummis, Smyrnæ quidem : « δεύτερον δόγμα συγκλήτου καθ' ὃ δὶς νεωκόροι γεγόναμεν (3) » — « Γ νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν κατὰ τὰ δόγματα τῆς ἱερωτάτης συγκλήτου (4) ; — Laodiceæ verò : « Λαοδικέων νεω-

(1) Eckhel, IV, 436. Waddington, *I. d'As. Min.*, 604.

(2) *C. I. G.*, 3190, 3484, 3497, 3831ᵃ, 13 et 16-17 (*addenda*). *Rev. numism.*, 1851, p. 155. Μουσεῖον ἐν Σμύρνῃ, 1880, p. 178.

(3) Eckhel, IV, 297.

(4) *C. I. G.*, 3197, 3202. Eckhel, II, 559.

κόρων δόγματι συγκλήτου » — « δόγματι συγκλήτου οὗτοι ναοί, etc. (1) ; »

2° Sæpiùs mutatum esse et numerum civitatum qui neocoratus jure potirentur, et in singulis civitatibus numerum neocoratuum. Etenim per primum à Christo sæculum uni tantummodò civitati Asiæ neocoratus fuit attributus, scilicet Epheso, provinciæ capiti, quæ illo titulo superbit in nummo Neronis (2). Incipit à Trajano neocoratus Smyrnæ (3), ab Hadriano Cyzici et Philadelphiæ et Sardium (4), ab Antonino aut M. Aurelio Nysæ et Pergami (5) ; à Severo aut Caracalla Laodiceæ et Acmoniæ et Mileti et Trallium (6). Jàm verò concessus est, Hadriani et Antonini tempore, Ephesiis et Pergamenis neocoratus alter (7) : Severi et Caracallæ temporibus Ephesiis et Pergamenis tertius (8), Smyrnæis autem et Sardianis alter, deinde tertius (9). Undè constat et civitatum νεωκόρων et neocoratuum numerum ab Hadriano et Antonino, deinde à Severo et Caracalla fuisse in latius provectum ;

3° Quot numerentur à civitate quâlibet neocoratus, tot exstitisse reipsa templa ad illos neocoratus per-

(1) Eckhel, IV, 297-298.
(2) Mionnet, *Ionie*, 253.
(3) Eckhel, II, 559.
(4) *Id.*, II, 454 ; III, 110, 117.
(5) *Id.*, II, 589, 472.
(6) *Id.*, III, 165 et seq., 128, 127 ; II, 533.
(7) *Id.*, II, 520, 472.
(8) *Id.*, *ibid.*
(9) *Id.*, II, 559 ; III, 117.

tinentia. Quod ex nummis præsertim comprobare facile est, testibus his :

Cyzici : νεωκόρων, effictum est templum octostylum ; — β′ νεωκόρων, duo templa (1) ;

Pergami : πρώτων Γ νεωκόρων, in nummo Caracalla, tria templa (2) ;

Ephesi : Ἐφεσίων νεωκόρων, in nummo Neronis, templum unum ; — δὶς νεωκόρων, in nummo Hadriani, duo templa; — τρὶς νεωκόρων, in nummis Juliæ Domnæ, Severi, Caracallæ, tria templa (3) ;

Mileti : δὶς νεωκόρων, in nummo Elagabali, duo templa (4) ;

Smyrnæ : Σμυρναίων Γ νεωκόρων τῶν Σεβα(στῶν), in nummis Caracallæ, Severi, Gordiani, etc., tria templa (5) ;

Laodiceæ : Λαοδικέων νεωκόρων, in nummis Caracallæ, templum unum (6) ;

Philadelphiæ : Φιλαδελφέων νεωκόρων, in nummis Antinoi, templum unum (7) ;

Sardium : δὶς νεωκόρων, in nummo Severi, duo templa (8) ;

Constat igitur ex illa nostra disputatione :

(1) Mionnet, *Mysie*, 179, 132, 133, 220, 225, 245.
(2) *Id.*, 636.
(3) *Id.*, *Ionie*, 253, 272, 342, 347, 337, 379.
(4) *Id.*, *ibid.*, 801.
(5) *Id.*, *ibid.*, 1364, 1367, 1368, 1369, 1390, 1408, 1435.
(6) *Id.*, *Phrygie*, 766, 770, 788.
(7) *Id.*, *Lydie*, 571.
(8) *Id.*, *ibid.*, 727, 730, 732.

1° Neocoratum pertinere ad municipalem Augustorum religionem;

2° Non nisi ex senatusconsulto ullam civitatem νεωκόρον esse dictam;

3° Pluribus civitatibus concessum esse neocoratum aut unum aut alterum temporibus Hadriani et Antonini, tertium quoque temporibus Severi et Caracallæ;

4° Tot exstitisse in singulis civitatibus templa, quot memorantur in nummis neocoratus.

Inde concludi posse arbitramur primum Ephesi neocoratum, de quo in nummo Neronis mentio fit, ad gentis Juliæ cultum pertinere; primum Smyrnæ neocoratum, qui in nummis Trajani apparet, ad cultum gentis Flaviorum; ità ut ante Hadriani tempus duæ tantummodo civitates asianæ νεωκόροι τῶν Σεβαστῶν dictæ sint, illa quidem Juliorum, hæc Flaviorum. Primus Hadrianus concessit ut civitates provinciæ plures jure neocoratus potirentur. In honorem Hadriani νεωκόροι factæ sunt Cyzicus, Philadelphia, Sardes aliæque, Ephesus autem et Pergamum iterum. Cæteros neocoratus concessos esse constat in honorem Antonini et imperatorum qui indè à Severo usque ad Caracallam eodem Antonini nomine potiti sunt et ejusdem religionis partem sibi vindicaverunt. Ut Romæ creata sunt in honorem imperatorum quatuor collegia, scilicet sodales Augustales, sodales Flaviales, sodales Hadrianales, sodales Antoniniani (1); ità concludam civitates Asiæ provinciæ

(1) Marquardt, *Staatsverwaltung*, III, p. 449 et seq.

νεωκόρους eas fuisse, quæ similia collegia ex senatusconsulto constituerint, primùm Ephesus in honorem Juliæ gentis, deinde Smyrna in honorem Flaviorum, postremò et eædem civitates et aliæ multæ in honorem Hadriani et Antoninorum.

Circa Septimii Severi et Caracallæ tempora hæ civitates neocoratu suo gloriantur tùm in nummis tùm in marmoribus (1) :

In *Mysia*, Cyzicus, Pergamum, Adramyttium;

In *Lydia*, Ephesus, Philadelphia, Sardes, Smyrna, Tralles, Teos, Miletus, Thyatira;

In *Phrygia*, Laodicea, Acmonia, Æzani, Hierapolis, forsan et Tabæ;

In *Cariâ*, Nysa, Halicarnassus.

Quæ nomina non alienum videtur referre in tabulam, contrà positis civitatum nominibus quæ aut capita fuere conventibus aut cistophoros ferire solebant :

(1) Vide quæ suprà de singulis civitatibus annotata sunt.

	CIVITATES NEOCORÆ.	*CO* = Conventus. *CI* = Cistophori (1).
Mysia.	Cyzicus.	Cyzicus (*CO*). .
	Pergamum.	Pergamum (*CO* — *CI*)
	Adramyttium.	Adramyttium (*CO* — *CI*).
		Parium (*CI*).
Lydia.	Ephesus.	Ephesus (*CO* — *CI*).
	Philadelphia.	Philadelphia (*CO*).
	Sardes.	Sardes (*CO* — *CI*).
	Smyrna.	Smyrna (*CO* — *CI*).
	Tralles.	Tralles (*CO* — *CI*).
	Teos.	
	Miletus.	
	Thyatira.	Thyatira (*CI*).
		Philomelium (*CO* — *CI*).
Phrygia.	Laodicea.	Laodicea (*CO* — *CI*).
	Acmonia.	
	Tabæ (?).	Tabæ (? *CI*).
		Apamea (*CO* — *CI*).
		Eumenia (*CO*).
		Synnada (*CO*).
	Æzani.	
	Hierapolis.	
Caria.	Nysa.	Nysa (*CI*).
		Alabanda (*CO*).
	Halicarnassus.	

E qua tabula concludi potest secundo et tertio post

(1) De cistophoris et conventibus Asiæ provinciæ cf. Eckhel. *De Cistophoris* (tom. IV). Pinder, *Ueber die Cistophoren und über die kaiserliche Silbermedaillons der Rœmischen Provinz Asia* (Berlin, 1856, *Abhandl. d. Berl. Acad.*). Marquardt, *Staatsverwaltung*, 1881 (2ª editio), I, p. 333 et seq.

Christum sæculo iis plerumque civitatibus jura neocoratûs ex senatusconsulto concessa fuisse, in quas convenirent ad conventus juridicos Asiani et in quibus cistophori ferirentur. Confirmabimus aliàs semper in urbibus quæ conventuum capita censerentur, exstructa esse provinciæ templa actosque provinciæ dies festos; quod in errorem induxit eos qui neocoratum ad provincialem Asiæ cultum retulerint (1).

§ 2.

Ex universis provinciæ civitatibus conflatum esse Asiæ commune.

Comprobasse suprà nobis videmur quærenti, undè synedri ad commune concilium mitterentur, non esse ampliùs de neocoris urbibus cogitandum. Nulla

(1) De hominibus neocoris, id est de sodalibus Augustorum, aliquid ex marmoribus et nummis traditur. Cyzicenus quidam dicitur nunc νεωκόρος τῆς λαμπροτάτης Κυζικήνων μητροπόλεως, nunc νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν (*C. I. G.*, 3484-3497). Vir alter in Phrygia, qui deinceps electus est ἀρχιερεὺς Ἀσίας ναῶν ἐν Σμύρνῃ, exstiterat ἱερεὺς τοῦ Αὐτοκράτορος διὰ βίου καὶ ἀρχινεωκόρος (*C. I. G.*, *add.* 3831 a 18). Signum imperatori erectum est a collegio sodalium qui se dicunt οἱ νεωκόροι αὐτοῦ διὰ βίου (*C. I. G.*, 3831 a 17). Unus ex Smyrnæis qui posteà in asiarchiam evectus est, appellatur in marmore στεφανηφόρος καὶ νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν (*C. I. G.*, 3190). Sæpe factum est ut illi neocori homines simul muneribus municipalibus fungerentur; nàm legitur in lapide νεωκόρον τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματέα τοῦ δήμου (Μουσεῖον ἐν Σμύρνῃ, 1880, p. 177), et in nummo ἐπὶ Φλ. Πρείσκου νε(ωκόρου) γραμματέως υ(ἱ)οῦ Ἀσιάρχου (*Revue numismatique*, 1851, p. 155). Testantur eadem monumenta non raro neocoris hominibus contigisse ut ad primum municipii flaminium, deinde ad provincialia sacerdotia, etiam ad asiarchiam eveherentur.

quidem est causa cur existimetur proconsularem Asiam in hoc differre ab aliis imperii romani partibus. Nàm et in Gallia et in Hispania et in Africa hodie constat singulos à singulis provinciæ, non quidem urbibus, sed civitatibus electos esse communis concilii synedros. In ipsa etiam Lycia, quæ Asiæ finitima est, compertum habemus Strabonis saltem tempore universas civitates, numero quidem XXIII, pleno jure usas fuisse legatos ad concilium eligendi (1). Quod et de Asia proconsulari ab aliquot testimoniis deprehendere licet; nàm et illos communes magistratus, qui dicuntur asiarchæ, certum est sæpe oriundos esse è minimis urbibus quæ nunquàm aut neocoratûs aut metropoleos jura sunt adeptæ (2), et Dio testatur communium ædificiorum administrationi interfuisse Asiæ populos apud quos nullum esset exstructum provinciale templum (3). Undè liquet, ut in Lycia et in occiduis imperii provinciis, sic in Asia proconsulari è singulis singularum civitatum legatis concilium commune fuisse conflatum.

In regiones aut civitates XLIV Asiam esse à Sylla divisam tradit ex veteribus scriptoribus unus, dubiæ quidem fidei (4). Quem numerum quanquàm acci-

(1) Strabo, XIV, 3, 3 : « Εἰσὶ δὲ τρεῖς καὶ εἴκοσι πόλεις αἱ τῆς ψήφου μετέχουσαι · συνέρχονται δὲ ἐξ ἑκάστης πόλεως εἰς κοινὸν συνέδριον, ἣν ἂν δοκιμάσωσι πόλιν ἑλόμενοι · τῶν δὲ πόλεων αἱ μέγισται μὲν τριῶν ψήφων ἐστὶν ἑκάστη κυρία, αἱ δὲ μέσαι δυεῖν, αἱ δ' ἄλλαι μιᾶς · ἀνὰ λόγον δὲ καὶ τὰς εἰσφορὰς εἰσφέρουσι καὶ τὰς ἄλλας λειτουργίας. »

(2) Mionnet, *Suppl.*, V, p. 504. Eckhel, IV, 209. *C. I. G.*, 2912.

(3) Dio Chrys., II, p. 70 R.

(4) « His conss. Asiam in XLIIII regiones Sulla distribuit » (Momm-

piunt in recentissimis operibus viri hujus temporis doctissimi, nos tamen abunde suspectum habemus his de causis :

1° Teste Aristide, nulla provincia tantùm civitatibus abundabat, quantùm Asia proconsularis (1). In sola Ionia, quæ provinciæ minima pars fuit, exstiterunt antiquitus XIII civitates. Testatur etiam historia ecclesiastica fuisse plurimos in Asia christianos episcopos, etiam in locis quorum vix nomen novimus*; fuerunt autem singuli apud singulas civitates episcopi constituti ;

2° In alterum Phrygiæ conventum, Cibyraticam quidem, narrat Plinius convenisse XXV civitates (2) ; fuerunt autem in Asia proconsulari conventus aut XI aut plures (3) ; undè liquet cum numero conventuum non congruere numerum civitatum ;

sen, *Die Chronik des Cassiodorus Senator*, p. 622). Cf. Appian., *Mithr.*, 62 : « διαιρήσω δὲ ταῦθ' ἑκάστοις κατὰ πόλεις. » Cicero, *in Verr. act. II*, 1, 35, 89 : « Decem enim naves jussu L. Murenæ populus Milesius ex pecunia vectigali populo romano fecerat, sicut pro sua quæque parte Asiæ cæteræ civitates. » Cicero, *pro Flacco*, 14, 32 : « Descripsit autem pecuniam ad Pompeii rationem, quæ fuit accommodata L. Sullæ descriptioni ; qui cùm omnes Asiæ civitates pro portione in provincia descripsisset... » Plin., *H. N.*, V, 113 : « Regio Apamena, regio Eumenetica. » *C. I. G.*, 3436 : ρεγεῶνος Φιλαδελφηνῆς.

(1) « οὔτε γὰρ πόλεις τοσαύτας τὰς πάσας οὐδεμία ἄλλη τῶν πασῶν παρέχεται οὔτε δὴ τάς γε μεγίστας τοιαύτας » (Aristid., I, p. 770). Cf. Stat., *Silv.*, V, carm. II, 56. Sic enim loquitur poeta de proconsule Vettio Bolano :

> Quantusque potentes
> Mille urbes Asiæ sortito rexerit anno,
> Imperium mulcente toga.

(2) Plin., *H. N.*, V, 29.

(3) Marquardt, *Staatsverwaltung*, I, p. 340.

3° In aliis imperii romani partibus scimus uno conventu comprehendi solere non minus quàm XV aut XX civitates. Ut exemplum unum adferam, in Tarraconensi exstitere VII conventus, CCXCIII civitates (1). Quod si in sola Lycia XXIII civitates constitutæ sunt (2), in Asia, quæ sexties saltem latior patescit nec minus urbibus abundabat, præsumere licet exstitisse civitates numero non minùs quàm sexties ampliore, circiter CXL;

4° Ptolemæus enumerat in tribus Galliis, Aquitania scilicet et Lugdunensi et Belgica πόλεις numero LX (3), in Asiâ proconsulari, Mysiâ scilicet et Lydiâ et Cariâ et Phrygiâ, πόλεις, id est civitates, circiter CXL (4). Nec discrepat ab illo Ptolemæi testimonio hoc Plinii : « Is finis Asiæ est populorumque CCLXXXII qui ad eum locum à fine Lyciæ numerantur (5); » nàm et in Gallia constat sæpissimè duos aut tres *populos* eidem *civitati* fuisse attributos (6).

Proindè suspicamur Asiam à Sylla divisam esse in partes non, ut legitur, XLIV, sed CXLIV; qui numerus cum testimoniis Plinii et Ptolemæi mirè congruit. Quòd si exstitêre in Asia proconsulari civitates CXLIV, facilè intelligitur, quod aliundè deprehendimus, potuisse numerari in provincia urbes D, conventus aut

(1) Plin., *H. N.*, III, 3.
(2) Strabo, XIV, 3, 3.
(3) Ptolemæi *Geographia*, II, 7-9.
(4) *Id.*, *Geogr.*, V, 2.
(5) Plin., *H. N.*, V, 43.
(6) E. Desjardins, *Gaule romaine*, II, pp. 494, 495, 499.

XI aut plures. Coibant igitur in unum conventum civitates aut XV aut XX; quod ab occiduarum provinciarum consuetudine non abhorret.

Ergò concludemus commune Asiæ proconsularis concilium conflatum esse è legatis qui à singulis provinciæ civitatibus, numero scilicet CXLIV, fuissent electi. Ut in Lycia, sic in Asia unum aut plures legatos misisse quæque civitas pro sua magnitudine videtur, ità ut unum quidem eligerent minimæ, duos autem illæ quæ jurisdictionum capita censebantur, tres denique legatos maximæ civitates (1). Undè arripi potest coire solitos esse in communi Asiæ concilio legatos circiter CC; nec mirum, quia commune Thessalorum concilium, gentis haud ità divitis et numerosæ, ex CCCXXXIII legatis esse conflatum pro certo habemus (2).

(1) Strabo, XIV, 3, 3. Modestin., *Dig.*, XXVII, 1.

(2) Le Bas, *Voy. archéol.*, 1189. Heuzey, *Mission de Macédoine*, p. 421.

PARS SECUNDA

DE COMMUNIBUS ASIÆ TEMPLIS, SACERDOTIBUS, SACRIS ET CONCILIO

CAPUT PRIMUM.

DE COMMUNIBUS ASIÆ TEMPLIS.

Communia civitatum Asiæ proconsularis templa jàm ante principem Augustum exstitisse testantur cùm alii scriptores tùm M. Cicero in epistola prima ad Q. fratrem (1). Post Actiacam pugnam ab imperatore in Asia commorante civitates Asiæ impetrarunt ut Pergami templum Romæ et Augusto (Ῥώμῃ καὶ Σεβαστῷ) communiter sisterent (2). Non dubium est quin illud Asiæ proconsularis commune concilium, cujus prima vestigia Syllæ et Cæsaris tempore deprehendere nunc etiam licet, Augustus demùm aut res-

(1) I, I, 26.
(2) Dio, LI, 20. Tacit., Ann., IV, 37.

tituerit aut eatenùs incertum certis legibus constituerit.

Memorat in Annalibus Cornelius Tacitus, cujus testimonium Smyrnæis monetis confirmatur, Tiberio matrique ejus ac Senatui templum ab Asiæ communi fuisse Smyrnæ consecratum (1). Alia deinde ab Asianis exstructa sunt ædificia in diversis Asiæ proconsularis civitatibus, ità ut circà Septimii Severi et Caracallæ tempus deprehendas exstitisse communia templa et sacerdotes in Lydia Ephesi et Smyrnæ et Sardibus et Philadelphiæ (2), apud Phrygas Laodiceæ (3), apud Mysos Pergami et Cyzici (4); de Trallibus Lydiæ, de Synnada Phrygiæ, de Lampsaco Mysiæ (5) ut probabile censeo, ità non ausim affirmare.

De quibus ædificiis interdum apud scriptores, sæpissimè in marmoribus inscriptis mentio fit; testes sunt etiam et monetæ et ruinæ. Nàm et Cyzici (6) et Pergami (7) exstat hodie quoque aliquid ex illis ædibus, ubi cultum est Romæ et Augusti numen;

(1) Tacit., *Ann.*, IV, 15. Eckhel, II, 517.

(2) Ephesi (Eckhel, II, 521 ; *C. I. G.*, 2987[b], 3415 ; Wood, *Inscr. fr. the theatre*, p. 18, 62, etc. ; Euseb., *H. E.*, IV, 13). Smyrnæ (*C. I. G.*, 247, 1720, 2741, etc. ; Eckhel, II, 560). Sardibus (*C. I. G.*, 5918). Philadelphiæ (*C. I. G.*, 1068-3428).

(3) Laodiceæ (Wood, *Insc. fr. the gr. theatre*, n° 8).

(4) Pergami (*C. I. G.*, 1720, 2810, etc.). Cyzici (*C. I. G.*, 3674, 3675, etc.).

(5) Trallibus (Waddington, *I. d'As. min.*, 609). Synnadæ (Aristid., *Orat.*, XXVI, p. 344 et seq.).

(6) Marquardt, *Cyzicus und sein Gebiet*, p. 150.

(7) Conze, *die Ergebnisse der Ausgr. zu Pergamon*, Berlin, 1880, s. 94. *Hermes*, tome VII, p. 37.

du κοινόν

et in nummis Pergami et Smyrnæ sæpius efficta sunt illa, quæ ab Asianis universis frequentabantur, ædificia.

Pergami, vivente etiam Augusto, icti sunt nummi quorum in altera parte et stat Augustus in templo tetrastylo et legitur inscriptio : « Θεὸν Σεβαστόν. » In aliis ejusdem ætatis apparet dea Roma turrita cum inscriptione : « Θεὰν Ῥώμην (1). » Sunt etiam ubi simul et imperator et dea Roma stent in templo tetrastylo qui inscribitur : « Καίσαρι Σεβαστῷ — Θεᾷ Ῥώμῃ (2); aut indigenæ dei Jovis Philii comes Augustus factus est, quanquàm et legitur in adversa parte nummi : « Ῥώμῃ καὶ Σεβαστῷ (3). » In similibus Pergami monetis, quæ Trajano principe prodierunt, Augustus in templo a dea Roma coronatur.

Haud raró in nummis memoratur etiam « Κοινὸν Ἀσίας. » Ad illud referendi sunt pulcherrimi nummi vel aurei vel argentei, maximi quidem moduli, qui tùm Pergami tùm in aliis Asiæ civitatibus icti sunt anno ab urbe condita DCCXXXV (antè Christum 19). Prænitet in altera parte caput Augusti, in altera legitur « *Com(mune) Asiæ* » et in fronte templi hexastyli « *Rom(æ) et August(o)* (4). » Quem typum sæpius imitati sunt Asiani posteà, ut apparet ex nummis aureis et argenteis qui principum Claudii, Nervæ, Tra-

(1) Mionnet, *Mysie*, 534, 541, 493.
(2) *Id.*, *ibid.*, 560.
(3) Eckhel, II, 466.
(4) *Id.*, VI, 100; II, 466. Cohen, *Monn. impér.*, I, pp. 45 et seq.

Temples Sm

jani capita proferunt (1). Quæ omnia de pergameno Romæ et Augusti templo sunt intelligenda.

De templo Tiberii et Liviæ et Senatus, quod, teste Cornelio Tacito, Smyrnæ fundaverunt Asiani, aliquid fatentur et nummi (2). Nàm et in nummis Plotinæ Smyrnæis effingitur templum tetrastylum qui inscribitur : « Θεὸν σύνκλητον ; » et in aliis qui Domnæ capite ornati sunt, legitur : « θεὰ Ῥώμ(η) » aut : « θεᾶς Ῥώμης ; » et in aliis, juxtà stantes Liviam et Senatum, explicantur hæc verba : « Σεβαστὴ σύνκλητος — Σεβαστὸς Τιβέριος, » et in æde statua Tiberii principis (3). In magnifico denique nummo maximi moduli, qui Caracallæ nomine et typis signatur, excusa videre est terna templa, quorum in primo (medio scilicet) sedet dea Roma galeata et epistylium ædificii ornatur litteris : « Ῥώ(μη), » in secundo (scilicet verso ad dextram manum) agnoscas principem et inscriptionem : « Τι(βέριος), » in tertio incerta figura juxtà quam inscriptio quædam haud facilè distinguitur (4). Quæ omnia ad illud triplex Tiberii et Liviæ et Senatus templum Asiæ commune non dubitamus esse referenda. Eisdem ex nummis, qui capita Domnæ et Caracallæ in adversa parte præferunt, concludi potest illa ædificia pluribus sæculis Smyrnæ floruisse; quod etiam ex illis marmoribus constat, ubi memo-

(1) Cohen, I, pp 157, 466 ; II, pp. 3-4.
(2) Eckhel, II, 547.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*

Κοινόν

ratur τὸ « Κοινὸν Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ » et illi « ἀρχιερεῖς » et « ἀρχιέρειαι τῆς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Σμύρνῃ (1). »

Quòd si nunc considerem in quibus civitatibus exstructa sint communia proconsularis Asiæ templa, non possum quin notem easdem fere civitates communibus ædificiis esse potitas, quæ, teste Plinio seniore et aliis, et conventuum sivè jurisdictionum (διοικήσεις) capita fuerant electa et cistophoros edendi jure fruebantur (2) et pleræque metropolis titulo circà Severi et Caracallæ tempus tùm in nummis tùm in marmoribus inscriptis gloriatæ sunt (3). Quæ res magni momenti nobis esse videtur, et unde discutiatur aliquid ex tenebris quibus Asiaticarum provinciarum historia adhuc involvitur. Quare adversùs nomina civitatum quæ communibus Asiæ proconsularis templis erant potitæ, inscribere nomina conventuum et civitatum quæ cistophoros ferire solebant et illarum quæ Caracallæ tempore sese metropoles Asiæ dixere, ex re putamus in hunc modum :

(1) *C. I. G.*, 247, 1720, etc., 2741, 3211, 3151, 3508.
(2) Marquardt, *Staatsverwaltung*, I, p. 340.
(3) Cf. *Partem* III, *cap*. I, § 2.

	Civitates in quibus coivisse scimus τὸ Κοινὸν Ἀσίας.	Conventus juridici Asiæ provinciæ primo post Christum sæculo	Civitates apud quas icti sunt cistophori.	Civitates quæ se metropoles Asiæ dixere tertio post Christum sæculo.
Lydia.	Ephesus.	Ephesus.	Ephesus.	Ephesus.
	Smyrna.	Smyrna.	Smyrna.	Smyrna.
	Sardes.	Sardes.	Sardes.	Sardes.
	Philadelphia.	Philadelphia.		
	Tralles (?).	Tralles.	Tralles.	
			Thyatira.	
Phrygia.	Laodicea.	Laodicea.	Laodicea.	
		Philomelium.	Philomelium.	
		Apamea.	Apamea.	
		Eumenia (?).		
	Synnada (?).	Synnada.		Synnada.
			Tabæ (?).	
Mysia.	Pergamum.	Pergamum.	Pergamum.	Pergamum.
	Cyzicus.	Cyzicus.		Cyzicus.
	Lampsacus (?).			Lampsacus.
		Adramyttium.	Adramyttium.	
			Parium.	
Caria.	?	Alabanda.	Nysa.	?

Ex illa tabula liquet, mea quidem sententia, sæpissimè concordare templa proconsularis Asiæ communia, conventus juridicos, cistophoros, metropoles : quod magis etiam manifestum videbitur cogitanti in Asiâ provinciâ non minus quàm urbes quingentas, civitates circitèr centum et quinquaginta. Si quid inter se differre judicas illius tabulæ columnas, potiùs (ut

opinor) ignorantiæ nostræ causa est quàm rei : nam et templa communia et conventus et cistophoros et metropoles abest ut noverimus omnes, quod præsertim de Caria certum est. Quod in tertia parte operis ostendere nobis in animo est, in iisdem illis civitatibus egerunt sua concilia christiani Asiæ episcopi et coiverunt provinciæ singulæ è quibus constitit post Diocletiani tempus diœcesis Asiana.

Apud civitates, quæ communibus provinciæ templis erant potitæ, Asiani festos dies et ludos et electi synedri concilium agebant, vicibus, ut videtur, alternis. Quod sæpiùs testantur inscriptiones agonisticæ (1) ; memoratur enim : « τὸ Κοινὸν Ἀσίας ἐν Ἐφέσῳ, » « ἐν Σμύρνῃ, » « Σάρδεις, » « ἐν Κυζίκῳ, » « ἐν Περγάμῳ, » « ἐν Φιλαδελφείᾳ, » « εἰς Φρυγίαν ἄνω, » « ἐν Λαοδικείᾳ (2). » Feriebant etiam singulæ civitates nummos singulares, scilicet in memoriam festorum Asiæ dierum. Legitur enim in nummis Antonini Ephesiis : « Ἐφεσίων — Κοινὸν Ἀσίας (3) ; » in Severi, Maximini, Gordiani, Galliani Smyrnæis : « πρῶτα κοινὰ Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ, πρῶτα κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ (4) ; » in Drusi junioris, Germanici, Domnæ, Caracallæ Sardianis :

ἐν Σάρδεσι ??

(1) Vide *Partem* II, *caput* VI, *De communibus Asiæ sacris et ludis*.

(2) Smyrnæ (*C. Γ. G.*, 247, 1720 et alia multa). Ephesi (Euseb., *H. E.*, IV, 13). Sardibus (*C. I. G.*, 5918). Cyzici (*id.*, 3674, 3675). Pergami (*id.*, 1720, 2810). Philadelphiæ (*id.*, 1068, 3428). Εἰς Φρύγιαν ἄνω (Synnadæ ; — Aristid., XXVI, p. 344). Laodiceæ (Wood, *Inscr. fr. the gr. theatre*, nº 8), etc.

(3) Mionnet, *Ionie*, 283.

(4) *Id.*, *ibid.*, 1403, 1404.

« Κοινὸν Ἀσίας, κοινὸς Ἀσίας (ἀγών) (1). » Cyzici unum, Pergami et Sardibus plura, Ephesi et Smyrnæ nunc unum nunc plura memorantur proconsularis Asiæ templa.

(1) Eckhel, III, p. 117 et seq. Mionnet, *Lydie*, 750.

CAPUT II.

DE COMMUNIBUS ASIÆ SACERDOTIBUS.

Provincialibus templis, quæ ab Asiæ communi in præcipuis civitatibus erant exstructa, præerant communes sacerdotes, in marmoribus inscriptis dicti, ut exempla duo afferam : « ἀρχιερεὺς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Περγάμῳ (1), » « ἀρχιερεὺς ναοῦ τοῦ ἐν Ἐφέσῳ κοινοῦ τῆς Ἀσίας (2). » Tales sacerdotes exstitisse ex marmoribus constat Ephesi et Smyrnæ et Sardibus et Pergami et Cyzici ; cæteras civitates, ubi coivisse scimus Asiæ provinciæ synedros, Philadelphiam scilicet et Tralles et Laodiceam et Synnadam et Lampsacum, ne ipsas quidem hoc sacerdotio caruisse, non multùm opinione periclitetur qui affirmet. Quam archierosynam et ab illa Asiæ summa, de qua mox tractabitur, et ab archierosyna singularum civitatum municipali omninò differre ipse titulus et nomen indicio est.

Ut totius provinciæ civitates ad ædificia extruenda

(1) *C. I. G.*, 3416, 3494, 3839.
(2) Wood, *Inscr. fr. the gr. theatre*, pp. 18 et 36.

et instauranda pro suis quæque facultatibus conferebant, ità penès provinciale concilium fuisse credam jus sacerdotes omnes eligendi : quod de Achaia certum est, de Asia probabile (1). Summi autem sacerdotis, cui tradita erat illa dicta : « ἡ ἱερωσύνη κοινὴ τῆς Ἀσίας, » aut : « ἀρχιερωσύνη τοῦ παντὸς ἔθνους (2), » auctoritati eos obnoxios esse non est cur dubitetur : quod scimus et in Ægypto à Ptolemæis esse institutum, et in insula Cypro (3), ne quidquam addamus de illo Pontifice maximo qui universis populi romani religionibus antiquitùs præfuisset. Indè fuit initium summo provinciæ sacerdoti cæteris sacerdotibus superintendendi, et Maximini principis tempore, ut testatur Eusebius in *Historiæ Ecclesiasticæ* libro octavo, cæteros etiam designandi (4).

Ii potissimùm ad diversa provinciæ sacerdotia deligebantur, qui in municipiis quisque suis municipali Divorum flaminio fungebantur. Æzanis in Phrygia, statuis honorati sunt viri plures qui primùm municipalibus in patria sua, deinde et provincialibus Smyrnæ et Pergami templis erant præfecti ; quorum unus, nomine Claudius Lepidus, in civitate sua electus flamen perpetuus imperatoris et « ἀρχινεωκόρος, » deinde ad provinciale templorum Smyrnæ sacerdo-

(1) C. I. A., III, 805.
(2) Aristides, I, p. 531. Eunap., p. 111.
(3) Letronne, *Journal des savants*, 1841, p. 747. Waddington, *I. d'As. Min.*, 2781.
(4) Euseb., *H. E.*, VIII, 4, 9.

tium erat provectus (1). Simili ratione, et Acmoniæ in Phrygia M. Salvius Hiero « σεβαστοφάντης, » id est flamen Augusti, electus erat, mox et sacerdos Ephesi templorum Asiæ communium (2) ; et Philadelphiæ in Lydia Julius Pericles patriæ suæ (τῆς λαμπροτάτης πατρίδος) flaminio potiebatur, cui deindè delata est cura provincialium Pergami templorum (3). Ut a municipalibus ad templorum communium sacerdotia, ità haud raró factum est ut ab inferioribus provinciæ sacerdotiis ad summam Asiæ totius archierosynam transiretur ; quod M. Ulpio Appuleio Eurycli contigisse traditum est qui in marmore quodam dicitur summus sacerdos Asiæ designatus et sacerdos iterùm Smyrnæorum provinciæ templorum (4). Quem igitur morem diù viguisse liquet, antequàm in constitutionibus imperatores quarti et quinti post Christum sæculi sancirent ne quis, nisi sacerdotiis inferioribus anteà functus, ad summum provinciæ sacerdotium eveheretur.

De officiis quibus singuli fungebantur et Pergami et Smyrnæ et Sardibus et in aliis civitatibus provinciales illi sacerdotes, pauca nobis tradita sunt. An eis in municipales Augustorum flamines quælibet auctoritas delata sit, non diù disputandum est : nàm, ut juris aliquid provincialibus in municipales esse concessum ex eo præsumendum existimo quòd com-

(1) *C. I. G.*, $3831^{a\ 13}$.
(2) Waddington, *I. d'As. Min.*, 755.
(3) *Id.*, 653.
(4) *C. I. G.*, 2741.

munia provinciæ templa in civitatibus, quæ capita essent conventuum, fuissent ædificata; ità, silentibus priscis scriptoribus et adhùc marmoribus (de hac enim questione testimonia exstantia sunt tertio post Christum sæculo recentiora, atque ideò nobis in hac parte operis omittenda), nil voluerim affirmare. Hoc certè præcipuum, indè a primis imperatoribus, diversis provinciæ sacerdotibus officium erat mandatum, ut administrandis communibus Asiæ templis præessent, civitatum legatis et summo Asiæ sacerdoti administrationis suæ rationem quotannis redditurì. Abundabant enim provincialia templa divitiis, votis, servis, vectigalibus etiam, quæ fuerant aut ab adorantibus Romæ et Augusti numini consecrata aut testamento donata. Ephesi etiam, in quodam lapide qui ex ruderibus magni theatri effossus est, memorantur pueri et cantores templi provincialis (Ἐφεσίων παισὶ καὶ θεσμῳδοῖς ναοῦ τῶν Σεβαστῶν ἐν Ἐφέσῳ κοινοῦ τῆς Ἀσίας) (1).

Sacerdotes provinciæ diversos ludis etiam interfuisse quædam testimonia sunt, non solùm iis majoribus qui ab Asia tota, præsidente summo Asiæ sacerdote, festis diebus celebrabantur, sed aliis quoque minoribus, de quibus nondùm satis apertè constat. Nàm et Æzanis in Phrygia sacerdos quidam provincialis gestit stephanophori nomine et dicitur ter fuisse agonotheta in magnis ludis quinquennali-

(1) Wood, *Inscr. fr. the great theatre*, n° 1, col. 6.

bus (1) ; et Ephesi Tiberius Julius Reginus, dictus nunc sacerdos iterùm templorum Asiæ ephesiorum, nunc asiarcha in ludis quinquennalibus, in marmoribus Ephesi agonisticis eponymus est agonothesiæ perpetuæ causâ (2) ; et Antiochiæ in Pisidia signum fuit erectum Cn. Dottio « asiarchæ templorum splendidissimæ civitatis Ephesiorum, ex liberalitate suâ electo agonothetæ perpetuo ab imperatore divo Marco certaminis sacri Hadrianeion Ephesi postulante populo (3). » De illâ asiarchia Ephesia aliàs explicabitur ; nunc statuere satis sit sacerdotes templorum Asiæ communium diversis ludis, utpote agonothetas, sæpius interfuisse.

Ut in Achaia et aliis provinciis interdùm memorantur sacerdotes provinciæ perpetui, C. Julii Spartiatici illius instar qui se dixit sacerdotem Augustorum ex communi Achaiæ perpetuum (4) ; ità nihil simile nobis de sacerdotibus Asiæ provincialibus traditum est. Etenim Tiberius Julius Reginus, de quo jàm dictum est, appellatur in uno lapide sacerdos iterùm templorum ephesiorum (5), unde arripiendum est in certum tempus electos fuisse templorum Ephesi sacerdotes. Nec verò ex altero lapide, in quo idem Reginus nominatur asiarcha iterùm templorum

(1) *C. I. G.*, *add.*, 3831a9.

(2) Wood, *Inscr. fr. the great theatre*, 14.

(3) *C. I. L.*, III, 296.

(4) *C. I. A.*, III, 805 : « ἀρχιερέα Θεῶν Σεβαστῶν καὶ γένους Σεβαστῶν ἐκ τοῦ Κοινοῦ τῆς Ἀχαΐας διὰ βίου. »

(5) Wood, *Inscr. fr. the great theatre*, 14.

Ephesiorum « τῆς φιξ' πενταετηρίδος (1), » concludi potest aut sacerdotes Ephesi provinciales aut etiam asiarchas in quinque annos fuisse electos ; ea est enim nostra sententia, quam mox confirmabimus, asiarchiam non per se ipsam constare, sed sacerdotem provinciæ quinto quoque anno, illo asiarchæ nomine decoratum, ludis quinquennalibus præfuisse. Inferiora igitur Asiæ provinciæ sacerdotia, ut ad certum tempus constat esse instituta, sic adhùc nescimus utrùm annua an quinquennalia sint existimanda.

In templo Dianæ Ephesiæ inventa est signi basis, quod in honorem feminæ cujusdam sacerdotis templorum Asiæ Ephesiorum à filiis fuit erectum (2). Altera femina in marmore smyrnæo appellatur : « ἀρχιέρεια τῆς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Σμύρνῃ (3). » Quid de illis feminis sit intelligendum, ambigua quæstio est. Nàm ut hanc smyrnæam templo Liviæ provinciali præfuisse non absurdum est arbitrari, sic de Ephesia hæremus. Proinde quæstionem integram relinquemus, utrùm feminæ, quæ illo « ἀρχιέρεια τῆς Ἀσίας ναῶν, » nomine glorientur, tantummodo sacerdotum uxores an ipsæ Divarum sacerdotes sint intelligendæ.

(1) Wood, *Inscr. fr. the great theatre*, 14.
(2) *Id., Inscr. fr. the temple of Diana*, 2.
(3) Waddington, *I. d'As. Min.*, 5.

CAPUT III.

DE SUMMO ASIÆ SACERDOTE.

Universis templis, quæ communiter ab Asianis ædificata erant, cæterisque sacerdotibus, qui singuli singula servabant, ille præerat qui summum Asiæ sacerdotium erat adeptus. Quod munus græcè appellatur aut « ἱερωσύνη κοινὴ τῆς Ἀσίας » aut « ἀρχιερωσύνη τῆς Ἀσίας » aut « ἀρχιερωσύνη τοῦ ἔθνους (1); » appellatur etiam à Philostrato « στέφανος (2), » scilicet propter insignia muneris, sicut in Dacia flamen provinciæ interdùm dicitur « *coronatus Daciarum trium* (3). »

Fuit inter Asiæ provinciales dignitas summi sacerdotis facilè maxima. Ut unum ex civibus suis Asiæ toti præficerent, universæ civitates certatim enitebantur; ea exsultanter et in marmoribus et in nummis gloriabatur, quæ vicerat. Jàm Nerone principe, Eumenia Phrygiæ quodam in nummo testatur

(1) Aristides, I, p. 531. Eunap., p. 111.
(2) Philostr., V. S., I, 21, 2.
(3) *C. I. L.*, III, 1433. *Ephem. epigr.*, IV, p. 5.

Grand : être

ex se oriundum esse Julium Cleona, Asiæ provinciæ archierea (1); et in basi statuæ, quæ Tito imperatori Bargyliæ in Caria dedicata est, inscribitur ille qui dedicavit, scilicet: « ὁ ἀπὸ τῆς πόλεως ἀρχιερεὺς Θεᾶς Ῥώμης καὶ Θεοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος (2). » Accidit etiam ut ambitione aut vi et armatorum manu candidati de archierosyna decertarent. In audentes talia sancitæ sunt leges, severæ quidem, teste Paulo in Sententiis: « Petiturus provinciæ sacerdotium, si turbam suffragiorum causâ conduxerit, servos advocaverit, aliamve quam multitudinem conduxerit, convictus ut vis publicæ reus in insulam deportatur (3). »

Ad subeundum illud Asiæ sacerdotium candidati proponebantur qui dignissimi et meritis et facultatibus visi essent; qui deinde mos ab imperatoribus in constitutionibus et rescriptis sæpiùs est confirmatus (4).

Facultatibus, id est magnis divitiis, illi opus erat qui sacerdotium provinciæ, præsertim Asiæ, affectabat. Indè factum est ut, cùm paucissimi tanto oneri essent pares, honos ad easdem plerumquè domos rediret, veluti pignus quoddam nobilitatis in provincia egregiæ. Legibus concessum esse scimus ut pro filio candidato atque ejus nomine pater muneris editionem repromitteret (5), undè existimandum

(1) Eckhel, III, p. 153.
(2) *Bull. corr. hell.*, V, p. 192.
(3) Pauli *Sent.*, 5, 30ᵃ.
(4) *C. Th.*, XII, 1.
(5) *Cod. Just.*, 10, 61.

de l'Asie

est eis solummodò viam ad summos honores fuisse apertam, qui certa fortunarum summa fruerentur. Accidit autem ut, magis atque magis progredientibus sacerdotii expensis, summum honorem ditissimi inter provinciales potiùs timerent quàm appeterent; ab imperatoribus igitur sancitum est ne quis abnuere posset sacerdotium, modò electus, nisi qui liberorum quinque pater exstaret : « in Asia provincia (ut ait Papinianus) sacerdotium suscipere non coguntur numero liberorum quinque subnixi; quod Severus Augustus decrevit ac posteà in cæteris provinciis servandum esse constituit (1). » Ergò testantur imperatorum rescripta cavendum fuisse, primùm ne acriùs provinciales de sacerdotio certarent, postremò ne abnuerent universi. Causa est, quod, decrescentibus quidem propter bella et calamitates fortunis sacerdotalium, sacerdotii contrà creverant onera.

Candidatorum ut de facultatibus, ità de meritis in concilio Asiæ communi disputabatur. Eos potissimùm eligendi mos erat, qui aut equitis romani dignitate gestirent (2) aut è castris honestâ missione redissent aut præsertim qui inferioribus sacerdotiis jàm functi essent. Ut exempla duo adferam, et populus Meli insulæ signo honoravit Claudium Frontonianum « τὰς γ στρατείας ἐπιφανῶς στρατευσάμενον, β' τῆς Ἀσίας ἀρχιερασάμενον καὶ ἀγωνοθετήσαντα (3); » et vir qui-

(1) *Dig.*, L, V, 8.
(2) *Bull. corr. hell.*, II, p. 594.
(3) *Bull. corr. hell.*, II, p. 523.

dam, Bargylia oriundus, primùm in patria sua « ἱερεὺς τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Κινδυάδος καὶ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, » καὶ « στεφανοφόρος τὸ β′ » deinde « ἀρχιερεὺς τοῦ αὐτοκράτορος Τίτου Καίσαρος Σεβαστοῦ υἱοῦ Σεβαστοῦ Οὐεσπασιανοῦ », postremò « ἀρχιερεὺς Θεᾶς Ῥώμης καὶ Θεοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος » fuit electus (1).

Ad summum provinciæ sacerdotium candidati plures in concilio communi designari solebant, inter quos eligendi jus erat penès proconsulem, posteà ipsum principem (2). Sacerdotis uxor et ipsa « ἀρχιέρεια » dicebatur, ut testantur hæc marmora : « συναρχιερωμένη τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς » — « ἱερασάμενον τῶν Θεῶν Σεβαστῶν μετὰ τῆς γυναικός. » Quamobrem non data est facultas ut sacerdos cum filia ancillæ justis nuptiis jungeretur.

Qui sacerdos Asiæ, consensu synedrorum et proconsulis, electus erat, ante inauguratum munus, tùm in aliis provinciis tùm in Asia, sacerdos designatus (ἀρχιερεὺς ἀποδεδειγμένος) (3) dicebatur. Nec eodem tempore inaugurari solebant Asiæ sacerdotia et proconsulatus : nàm exstant bina marmora Vespasiano dedicata, in quibus ex eodem proconsule sed ex diversis sacerdotum nominibus tempora indicantur (4).

(1) *Bull. corr. hell.*, V, p. 192.

(2) Aristid., *Orat.*, XXVI, p. 344-346. Cf. Waddington, *Vie du rhéteur Aristide* (*Mém. acad. inscriptions*, 1867, p. 252).

(3) *C. I. G.*, 2741.

(4) Wood, *Journal of Philol.*, 1876, p. 145. Μουσεῖον τῆς εὐαγ. σχολῆς ἐν Σμύρνῃ, 1880, p. 180.

de l'Asie

Præfuit Asiæ sacerdos omnibus provinciæ templis, cærimoniis, sacerdotibus, inter quos eminebat et dignitate et veste et insignibus. Quæ insignia apud Dionem Chrysostomum et apud Tertullianum et apud alios descripta videre est « Purpura illa (inquit Tertullianus in libro *De idolatria* inscripto) et aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios et Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ vel trabeæ vel palmatæ et coronæ aureæ sacerdotum provincialium (1). »

Fuêre etiam Asiæ sacerdotes ludorum præsides et curatores, et ad ludos ex propriis fortunis multum conferre mos erat. In martyrio enim Polycarpi constat Philippum Trallianum, Asiæ sacerdotem, in amphitheatro præsedisse (2); et multa testantur marmora et scriptores sacerdotibus ad ludos multas pecunias fuisse impendendas : « ἀρχιερωσύνη πολυτελεστάτη » — « ἀρχιερασάμενον ἐνδόξως μετὰ μεγάλων ἀναλωμάτων » etc. (3).

Ut olim amphictyonibus delphicis cura mandata erat viarum sacrarum quæ ad templum Apollinis vergerent (4), sic existimem aliquot itinera aut opera, quæ ad utilitatem publicam pertinerent, sacerdoti Asiæ fuisse attributa. Nàm à quodam opificum sy-

(1) Tertullian, *De idolatr.*, 18. Cf. Dio Chrysost., *Orat.*, 34.

(2) *Epistola eccl. Smyrn.* (Dressel, *Patrum apost. oper.*, p. 391). Euseb., *H. E.*, IV, 15, 27.

(3) Waddington, *I. d'As. Min.*, 1604. *Ibid.*, 648. Philostrat., V. S., I, 21, 2. *Cod. Theod.*, XII, 1, 109; XV, 5, 1.

(4) *C. I. G.*, 1698.

nodo laudatur sacerdos « ἀνθ'ὧν τῶν δημοσίων ἔργων μετὰ ἐπιμελείας προενοήσατο (1). »

Antè quartum à Christo sæculum, quo tempore conciliorum provincialium præsides ab ipso imperatore designati sunt, præsidente sacerdote Asiæ coibant Asiani synedri. Sæpe etiàm ex sacerdotum nominibus tempora indicantur; nàm et in actis martyrii Polycarpi et in votis, quæ Ephesi in templo Artemidis sunt effossa, eponymos in multis urbibus fuisse constat sacerdotes Asiæ. Non raró simul et proconsulis et sacerdotis memorantur nomina (2).

Provinciarum sacerdotibus singulari privilegio concessum erat ut propter negotia ad munus suum pertinentia consiliis proconsulum interessent. Eamdem facultatem christiani posteà sibi vindicaverunt, ut testantur acta conciliorum : « more sacerdotum provinciæ, iidem ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quotiès necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus vel ad necessaria suggerenda ingredi judicum secretaria (3). » Sacerdotes Asiæ scimus interdùm ad imperatorem ab Asianis fuisse missos,

(1) *Bull. corr. hell.*, II, 594.

(2) Wood, *Journal of Philolog.*, 1876, p. 145. Μουσεῖον ἐν Σμύρνῃ, 1880, p. 180. Ruinart, *Acta martyrum*, p. 37 et seq. — Scimus etiam, referente ipso summo Asiæ sacerdote, decretos esse honores Theophroni cuidam, Hypæpâ oriundo, sacerdoti Artemidos Anaïtidos : « ἔδοξεν τοῖς ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ἕλλησιν, γνώμῃ Γαΐου Ἰουλίου Παρδαλᾶ...., ἀρχιερέως καὶ διὰ βίου ἀγωνοθέτου Θεᾶς Ῥώμης καὶ αὐτοκράτορος Θεοῦ τοῦ Σεβαστοῦ, ἀρχιερέως μεγίστου καὶ πατρὸς τῆς πατρίδος καὶ τοῦ σύμπαντος τῶν ἀνθρώπων γένους. » (*Revue arch.*, 1885, *juillet-août*, p. 104.)

(3) Mansi, *Sacror. concilior. nova collectio*, III, p. 802.

Scopeliani sophistæ instar, qui « ἀρχιερεὺς Ἀσίας » fuit electus et, Romam legatus, Domitianum deprecatus est ne Asiæ provinciæ culturâ vitis interdiceretur (οὐ γὰρ ὑπὲρ Σμυρναίων μόνων, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς Ἀσίας ὁμοῦ πάσης ἐπρεσβεύθη) (1).

Cùm Asiæ sacerdoti per sacerdotii tempus pecuniæ multæ ex fortunis propriis essent adhibendæ, statuit Severus Asiæ sacerdotium abnuere licere quinque liberorum patri (2); et in eos, qui eo munere fungerentur, varia privilegia collata sunt. Immunes fuisse tutela et civilibus officiis testatur Modestinus (3). Fruebantur etiam illa quam Græci dixere : « ἀλειτουργησίαν (4); » nec, si quid sceleris aut admisissent aut admisisse haberentur, tormentis submitti poterant (5). Alia quoque privilegia quarto post Christum sæculo sacerdotes obtinuere, quæ pleraque constitutione Arcadii abolita sunt (6).

Qui provinciæ sacerdotio functus erat, nil obstabat quin iterùm deligeretur. Nàm et multos homines aut bis aut ter electos esse scimus, et posteà etiam concessum est ut absque electione, si vellent, munus iterarent : « Sponte provinciæ sacerdotium iterare nemo prohibetur (7). »

(1) Philostrat., *Vita Sophist.*, I, 21, 6.
(2) Papinian., *Dig.*, *De vacat. et excusat. munerum*, V, 5.
(3) Modestin., *Dig.*, *De excusat.*, XXVII, 1.
(4) *C. Th.*, XII, 1, 75. *Dig.*, 50, 5, 8.
(5) « Liberum sit corpus eorum ab his injuriis quas honoratos non decet sustinere. » *C. Th.*, XII, 1, 75.
(6) *C. Th.*, XVI, 10, 14.
(7) Hermogenian., *Dig.*, L., 4, 17. *Cod. Th.*, XII, 1, 46.

Cùm ditissimis modò viris tàm grave munus affectare liceret, factum est ut sæpissimè ad easdem domos rediret honos. Haud raró enim legitur in marmoribus titulus hujusmodi : « ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας, αὐτός τε καὶ πρόγονοι, παῖς ἐκ πατρὸς πάντες (1). » Cùm autem sacerdotes titulo suo usque ad mortem gloriarentur et privilegiis quibusdam perpetuis fruerentur, paulatìm in quoddam ordinis genus sacerdotales et asiarchæ erecti sunt. Hunc ordinem quarto sæculo omninò constitutum videre est. Fuisse inferiorem constat Illustribus, Respectabilibus, Senatoribus, Clarissimis, qui ordines ad summos imperii magistratus pertinerent; superiorem verò cæteris ordinibus qui ad municipia et provincias referendi sunt (2). Potuerunt etiam illi ordini Sacerdotalium aggregari viri qui sacerdotio reipsa non functi erant, quod testantur marmora et alia et hoc : « allectus inter sacerdotales provinciæ Sardiniæ ab splendidissimo ordine Cornensium, ex consensu provinciæ Sardiniæ (3). »

(1) Philostr., *Vit. Soph.*, I, 21, 2. *C. I. G.*, 3495, etc.
(2) *C. I. L.*, VIII, 2403. *Cod. Theod. De hæreticis*, XVI, 5.
(3) Della Marmora, *Voy. en Sardaigne*, II, p. 483.

CAPUT IV.

AN IIDEM ATQUE SUMMI SACERDOTES ASIÆ EXISTIMANDI SINT QUI DICUNTUR ASIARCHÆ?

De hac quæstione multum est disputatum (1). Utrinque steterunt viri doctissimi; quos utrosque partim rectè sensisse, utrosque partim erravisse reor. Consentiunt universi illo titulo « ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας » designari templorum et concilii præsidem, hoc titulo « ἀσιάρχης » ludorum præsidem. Quare ambigitur utrùm concilii præses et ludis necne præfuerit. Quòd si dissensio orta est, hanc fuisse arbitror præsertìm causam, quòd vulgata est opinio quotannis concilium, quotannis ludos fuisse celebratos. Annuum fuisse concilium non potest dubitari, quòd in imperatoris

(1) Eckhel, *Doctrina Nummorum*, IV, p. 207 et seq. Borghesi, *Iscrizione di Burbulejo*, p. 42 et seq. Forcellini — De Vit, *Lexicon* (sub verbo *Asiarchia*). Waddington, *Inscr. d'Asie Mineure*, n° 885. Perrot, *Exploration archéologique en Galatie*, p. 35 et seq.; *Mélanges*, p. 170 et seq.; *Dict. des antiquités* (*asiarcha*). F. Lenormant, *Monnaie dans l'antiquité*, t. III, p. 107 et seq. Marquardt, *Staatsverwaltung*, I, pag. 333 et seq. et 514 et seq. Th. Mommsen, *Dissertat.* in *Berichte der sächs. Gesellschaft* (Leipzig, 1850); *die Provinzen*, p. 320 et seq. Henzen, *Annali*, 1863, p. 285.

Grands prêtres et asiarques,

fidem vota renovare quotannis provinciales solitos esse scimus; annuos exstitisse Asiæ provinciæ ludos non potest concedi. Quod nisi priùs tractaverimus, quæstiones de asiarchiâ malè attigerimus.

§ 1.

Magnos Asiæ ludos non (ut vulgò dicitur) quotannis, sed quinto quoque anno fuisse celebratos.

Constat in Oriente provinciarum ludos instar Olympiorum et Actiacorum, qui exstabant in Elide et Nicopoli, fuisse constitutos; Olympia autem et actiaca fuere quinquennalia (1). Quem morem secutos esse provinciales Augusti tempore, testis est Suetonius : « Provinciarum (inquit) pleræque super templa et aras ludos quoque quinquennales pæne oppidatim constituerunt (2). »

Multos enim ἀγῶνας in honorem Augustorum creatos scimus quinto quoque anno fuisse celebratos :

Romæ : Quinquennalia Neroniana — cert(amen) quinq(uennale) Rom(æ) co(nstitutum) anno 60 (3).

Neapoli : Quinquennale certamen in honorem Augusti; — ἄρξαντα τοῦ πενταετηρικοῦ (4).

(1) Eckhel, IV, p. 434. Strabo, VII, p. 501.

(2) Sueton., *Aug.*, 59.

(3) Cohen, *Monn. impér.*, I, p. 188, n° 99. Sueton., *Nero*, 12. Dio Cass., LXI, 21.

(4) *C. I. G.*, 5797.

Agonarum

Alexandriæ : τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα (1).

Antiochiæ in Syria : τὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα (2).

Tyri : « Cùm autem quinquennalis agôn Tyri celebraretur (3). »

Antiochiæ in Pisidia : « Agonotheta perpetuus certaminis quinquennalis talantiæi (4). »

In Creta : ἱεροῦ ἀγῶνος πενταετηρικοῦ τοῦ κοινοῦ τῶν Κρήτων (5).

Cyzici in Asia : M. Aurelius Carus παγκρατιαστὴς πενταετηρίδι Ζ'. — C. Pistus vicit Ἀδριάνεια Ὀλύμπια τῇ ἐνδεκάτῃ Ὀλυμπιάδι (6).

Imò verò, de ipsis Asiæ provinciæ ludis hæc reperiuntur in lapidibus testimonia :

καὶ Ἄκτια καὶ κοινὰ Ἀσίας καὶ τοὺς λοιποὺς ἀγῶνας πενταετηρικούς τε καὶ τριετηρικοὺς (7) ;

Ἴσθμια, κοινοὺς Ἀσίας καὶ ἄλλους πενταετηρικοὺς πλείστους ἀγῶνας (8) ;

Τιβ. Ἰουλ. Ῥηγείνου Ἀσιάρχου Β' ναῶν τῶν ἐν Ἐφέσῳ τῆς φιζ' πενταετηρίδος (9) ;

(1) *C. I. G.*, III, 5804.
(2) *Ibid.*, III, 5804.
(3) *Macchab.*, II, 4.
(4) *C. I. L.*, III, nos 296-297.
(5) *C. I. G.*, 2583.
(6) Eckhel, IV, p. 448. De Ephesiorum ludis vide *Bull. corr. hell.*, IX, p. 124 et suiv. : « τῶν μεγάλων Ἐφεσήων πενταετηρικῶν ἀγῶνα. »
(7) *C. I. G.*, 1420.
(8) *Ibid.*, 1421.
(9) Wood, *Inscr. fr. the great theatre*, nº 18. n. 16 [illegible] 14.

Giamb. ...

« Ἀρχιερέα Ἀσίας ναῶν... στεφανηφορήσαντα καὶ ἀγωνοθετήσαντα τρὶς τῶν μεγάλων πενταετηρικῶν ἀγώνων (1); »

Alias memoratur τὸ Κοινὸν Ἀσίας post : τὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα, et antè : τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα καὶ τοὺς ἄλλους πλείστους πενταετηρικοὺς ἀγῶνας (2).

Quæ testimonia cùm dubitari non possit quid sibi velint, nec ullum aliud eis obstet, concludamus fuisse Asiæ provinciæ ludos quinquennales.

§ 2.

Summum Asiæ sacerdotem, annuum quidem, quinto quoque anno magnis Asiæ ludis præfuisse, unde asiarcham appellatum.

Quotiès nostro tempore de asiarchia disputatum est, alteri contenderunt asiarchiam ab Asiæ summo sacerdotio differre nihil, alteri omninò. Dissentiendi causa fuit, quòd ex antiquis scriptoribus et nummis et marmoribus constat et omnes asiarchas simul summo sacerdotio fuisse functos, multos tamen sacerdotes summos haud simul et asiarchia.

Legitur apud Modestinum : « ἔθνους ἱερωσύνη, οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία (3). » Item in codicibus appellatur asiarchia aut ἀρχιερωσύνη aut sa-

(1) *C. I. G., add.*, 3831ᵃ ⁹.
(2) *Ibid.*, 5804.
(3) *Dig.*, 27, 1, 6, § 14.

cerdotium (1). Quæ quidem testimonia, quanquàm homines docti ingeniosè interpretari sunt ea conati, nostrâ tamen sententiâ probant sacerdotum provinciæ numero habitos esse asiarchas. Cum quibus testimoniis alia multa congruunt. Nàm et asiarcha Philippus Trallianus, quem magnis Asiæ ludis reipsa præfuisse martyrum acta testantur, ibidem appellatur sacerdos (2); et asiarchas plerosque scimus pluribus sacerdotiis aut municipalibus aut provincialibus anteà functos esse (3); et asianus quidam, Thyatira oriundus, nomine C. Julius Julianus Tatianus, filius C. Julii Hippiani et Corneliæ Secundæ sacerdotum Asiæ, nepos Flavii Moschii sacerdotis, pronepos Flavii Hippiani et Flaviæ Tatiæ sacerdotum, ipse fuit electus sacerdos et asiarcha (4). Proindè cùm in aliis provinciis certum sit ab ipso sacerdote provinciæ ludos provinciales editos fuisse; cùm haud facilè intelligi possit duos homines eisdem ludis præfuisse; cùm in Bithynia pompam à Bithyniarcha ductam esse traditum sit (5) nec fieri potuerit ut Asianis universis quivis homo præter summum Asiæ sacerdotem præsideret; cùm et scriptores et marmora de expensis non minùs Asiæ sacerdotum quàm asiarcharum sæpius loquantur, nec dubitari queat expensas illas

(1) *Cod. Theod.*, XII, 1, 112. *Cod. Just.*, 5, 27, 1.

(2) Ruinart, *Acta martyr.*, pp. 37 et seq. Euseb., *H. E.*, IV, 15.

(3) Cf. *pars* II, *caput* V.

(4) *C. I. G.*, 3495.

(5) « τῆς συνηθείας τῆς ἐπὶ προόδῳ τοῦ Βιθυνιάρχου διαμενούσης » (*Constitutio* impp. Valentis et Valeriani ad Nicæos). Cf. Harduin., *Acta concil.*, II, p. 569).

præsertim ad ludos pertinere, his de causis admittendum esse reor omnes asiarchas simul et summo sacerdotio Asiæ functos esse.

Non autem concedendum est ut illud asiarchæ nomen omnes Asiæ summi sacerdotes sibi vindicare possint :

1° Quòd si asiarchæ nomen sacerdoti summo usquequaquè contigisset, non intelligitur cur utrumque juxtà in marmoribus sit inscriptum. Nàm legitur, ut in Asiâ (exempli causa) : « Τιβερίου Κλαυδίου Ἱέρωνος Ἀσιάρχου δὶς καὶ ἀρχιερέως δὶς (1), » sic in Achaia « τὸν Ἑλλαδάρχαν καὶ ἀρχιερέα τῶν Ἑλλάνων (2), » aut in Galatia « ἀρχιερεὺς τοῦ κοινοῦ τῶν Γαλατῶν, Γαλατάρχης (3), » etc.

2° Sacerdotes Asiæ in marmoribus et in nummis alteri semper asiarchæ, alteri nunquàm dicuntur : undè liquet non ad omnes asiarchiam pertinere.

3° Ex nominibus sacerdotum Asiæ sæpè in asianis monumentis numerantur anni (4), ex asiarcharum nunquàm; nàm quos nummos suo nomine signaverunt asiarchæ, eos, ut hodiè constat, signaverunt non asiarchiæ causâ sed alicujus muneris municipalis (5). Item in actis Polycarpi martyrii Philippus Trallianus, ubi de ludis agitur, appellatur *asiarcha;* ubi de anno, « ἀρχιερεύς. » Legitur enim : « ταῦτα λέ-

(1) *Bull. corr. hell.*, II, p. 594.
(2) *C. I. G.*, 1124.
(3) *Ibid.*, 4016, 4031.
(4) Wood, *Journal of Philology*, 1876, p. 145.
(5) Lenormant, *Monnaie d. l'antiq.*, III, pp. 107 et suiv.

Cf. Asiarque

γοντες ἐπεβόων καὶ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. — Συνελήφθη δὲ ὑπὸ Ἡρώδου, ἐπὶ ἀρχιερέως Φιλίππου Τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος Στατίου Κοδράτου (1). »

4° Asiarcharum uxores nomine ἀρχιέρεια designari solent. Cujus rei aliquot exempla proponemus; Cyzici « φαμιλία μονομάχων φιλοτειμίας Πλω. Αὐρ. Γράτου Ἀσιάρχου καὶ Ἰουλίας Αὐρ. Ἀσκληπιοδώρας, τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ἀρχιερείας (2); in Co insula φαμιλία μονομάχων καὶ ὑπόμνημα κυνηγεσίων Νεμερίου Καστρικίου Λευκίου Πακωνιανοῦ Ἀσιάρχου καὶ Αὐρηλίας Σαπφοῦς Πλάτωνος Λικιννιανῆς, ἀρχιερείας, γυναικὸς αὐτοῦ (3), » et alia. Hunc enim et apud Græcos et apud Romanos fuisse morem scimus ut conjux marito ad sacerdotia non ad ludos edendos socia daretur. Maritus igitur fieri poterat ut simul esset ἀρχιερεύς et ἀσιάρχης, uxor solummodò ἀρχιέρεια (4).

Ergò sit positum asiarchas quidem, quotquot memorentur, simul et sacerdotio provinciæ ornatos esse, sacerdotes autem provinciæ multos memorari qui asiarchæ nomine caruerint. In hoc verò consentiunt viri docti utrique sacerdotem Asiæ communibus templis et concilio præfuisse, ludis asiarcham. Ludos Asiæ quinto quoque anno celebratos esse modò con-

(1) Ruinart, *Acta martyr.*, pp. 37 et suiv.

(2) *C. I. G.*, 3677.

(3) *Ibid.*, 2511.

(4) In Lycia contrà Lyciarchæ uxor interdùm appellata est « Λυκιάρχισσα » (*Reisen in Lykien und Karien*, beschrieben von Otto Benndorf und George Niemann (Wien, 1884), pp. 68 et 69).

cf. aussi CIG 3324

firmavimus; annuum fuisse provinciæ concilium et sacerdotem tùm in cæteris provinciis tùm in Asia nemo dubitat. Undè liquet sacerdotem Asiæ provinciæ, annuum quidem, quinto quoque anno asiarchæ nomine ludis præfuisse, atque ideò asiarcham definiri posse sacerdotem Asiæ quinquennalem.

In aliis imperii romani partibus instituta similia deprehendas. Nàm et Rhegii in Magna Græcia inter magistratus et artifices qui ludis interfuerint (et ἱεροσκόποι et ἱεροσαλπιστής et ἱεροκῆρυξ et σπονδαύλης, aliique) memoratur quidam ἄρχων πενταετηρικός (1); et Neapoli quidam dicitur ἄρξας τοῦ πενταετηρικοῦ (2), et statua erecta est Seleuco, quem hominem cives laudant utpote « δὶς γυμνασίαρχον, ἄρξαντα τεσσάρων ἀνδρῶν, λαυκελαρχήσαντα, ἄρχοντα τοῦ διὰ πέντε ἐτῶν (3). » Exstitit etiam in ipsa Asia provincia, scilicet in colonia Julia Pario Mysiæ (4), quidam sacerdos divi Titi quinquennalis. Proinde, ut in municipiis duumviri qui quinto quoque anno deligerentur majore dignitate et quinquennalium nomine fruebantur; sic in Asiâ sacerdos provinciæ qui quinto quoque anno electus esset, asiarchæ nomine et dignitate superbivit (5).

(1) *C. I. G.*, 5763.
(2) *Ibid.*, 5797.
(3) *Ibid.*, 5763.
(4) *C. I. L.*, III. n° 376.
(5) Opinioni non possumus eorum assentiri, qui diversis in civitatibus fuisse contenderunt asiarchas municipales nescio quos. Nàm ut leguntur in marmoribus nomina hujusmodi : « Ἀσιάρχης τῆς πρώτης καὶ μεγίστης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας Ἐφεσίων πόλεως » (*C. I. G.*, 2090), aut

cf Asiarques

Provincialibus Asianis nihil asiarchia majus, nihil sanctius. Ii solùm ad munus tantum deligi poterant qui, inclyto genere orti, simul et divitiis abundabant et in inferioribus sacerdotiis municipii et provinciæ eminuerant, sæpe etiam ad dignitatem equitis romani provecti. Cùm autem qui asiarchia functi essent titulum eumdem, quamdiù vita suppeditaret, retinerent; cùm asiarcharum filii, nepotes, pronepotes, adfines, etiam civitates è quibus oriundi essent, honore tanto superbirent, contigit ut asiarchæ plerique aut apud scriptores aut in marmoribus aut in nummis memorati sint. Quare non alienum videtur, asiarcharum, de quibus testimonia collegerim, nomina, adjecto quod deprehendere liceat de tempore, patria, muneribus et sacerdotiis quibus in municipio aut provincia functi sint, in tabulam referre atque asiarchiæ quodammodo fastos componere in hunc modum :

« asiarchæ templorum splendidissimæ civitatis Ephesiorum » (*C. I. L.*, III, 296. Waddington, *I. d'As. Min.*, 1821), aut « ʼασιάρχης β' ναῶν τῶν ἐν ʼΕφέσῳ » (*C. I. G.*, 2464. Wood, *Inscr. fr. the great theatre*, 18); ità animadvertendum est hactenùs apud Ephesios tantùm inveniri asiarchas hujusmodi. Ephesus autem caput provinciæ fuit; et per longum tempus apud Ephesios solos videntur celebrati esse communes provinciæ ludi, ità ut illâ ætate sacerdos Asiæ simul præesset Ephesiis provinciæ templis atque etiam celeberrimo Artemidis templo : quod testantur et diversarum civitatum Asiæ nummi, quæ se dixerunt neocoras Dianæ (Μαγνήτων νεωκόρων τῆς ʼΑρτέμιδος, Eckhel, II, 527) et inscriptiones inventæ Gabiis in Italia (ʼΑρτεμις ʼΕφεσίων. ʼΑσιάρχου Αὐρ. ʼΑπολλοφάνου. Σμυρναίων, *C. I. G.*, 5945) et Romæ (καθιερώσαντος ʼΙου. Αὐρ. Μουσωνίου ʼΑσιάρχου. ʼΑρτέμιδος τῆς ʼΕφεσίων, *C. I. G.*, 5946).

QUO PRINCIPE :	ASIARCHARUM NOMINA.	ASIARCHARUM PATRIA.	Numera municipalia quibus in patria sua functi sint asiarchæ.	Sacerdotia alia, quibus functi sint asiarchæ.	QUIBUS TESTIBUS :
Augusto.	Pythodorus.	Tralles.			Strabo, XIV, p. 649.
Nerva.	Aristobulus.	Ephesus.	γραμματεὺς τοῦ δήμου.		Wood, *Inscr. fr. the temple*. n° 13.
Antonino.	Fronto.	Civitas incerta Ioniæ.		ἀρχιερεὺς ΙΓ' πόλεων.	Mionnet, *Ionie*, 1.
» (Anno à Christo 155).	Philippus.	Tralles.		ἀγωνοθέτης-ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας.	*Arch. Zeitung*, 1880, p. 62.
»	Cn. Dottius.	Ephesus.		Agonotheta perpetuus Hadrianeion	Wadd., *I. d'As. Min*, 1821. *C. I. L.*, III, 296.
M. Aurelio.	Œlius Pollio.	Pergamum.	στρατηγός.		Eckhel IV, 207.
»	Œlius Zoïlus.	Abydus.	ἄρχων.		Mionnet, *Suppl.*, t. V, p. 504, n°ˢ 53, 54, 56.
»	Aurelius.	Cyzicus.	στρατηγός.		*Id.*, *ibid.*, V, p. 328, n° 281.
Commodo.	Meidias.	Cyzicus.	στρατηγός.		Eckhel, IV, p. 207.
»	Vettenianus.	Sardes.	στρατηγός.		*Id.*, IV, 207.
Septimio Severo.	M. Aurelius.	Hypœpa.	ἄρχων.		Mionnet, IV, p. 55. *Suppl.*, VII, p. 359.
»	Glyco.	Hypœpa.	ἄρχων.		*Revue numismatique*, 1883, p. 400.
»	Cornelius Vettenianus.	Sardes.	στρατηγός.		Eckhel, IV, p. 207.
»	Flavius Apio.	Hypœpa.	στρατηγός.		*Id.*, IV, p. 207.

Septimio Severo.	Flavius Priscus Niger.	Acmonia.	ἄρχων.		Mionnet, IV, p. 201, nos 31-36.
Caracalla.	L. Cœlius Pigrès.	Laodicea.	στρατηγός.		Eckhel, IV, p. 207.
»	Crispos.	Magnesia ad Meandrum.	λογιστής.		*C. I. G.*, 2912.
Caracalla et Geta.	Alexander.	Otrus in Phrygia.			Eckhel, IV, p. 207.
Plautilla.	Menander.	Hypœpa.			*Rev. numism.*, 1883, p. 400.
Gordiano III.	P. Cœlius Artemidorus.	Cyzicus.	στρατηγός.		Mionnet, II, p. 549, n° 235.
»	L. Apollinaris.	Adramyttium.	ἄρχων.		*Id.*, II, p. 216. *Suppl.*, t. V, p. 277 et 285.
»	M. Aurelius Tertius.	Smyrna.	στρατηγός.		Eckhel, IV, p. 207.
Philippo.	Aurelius Demetrius.	Stectorion in Phrygia.	ἄρχων.		Mionnet, IV, p. 362, n° 950.
Valeriano.	Aurelius Dama.	Pergamum.	στρατηγός.		Eckhel, IV, p. 207.
»	Domitus Rufus.	Sardes.	στρατηγός.		*Id.*, *ibid.*
Incerti temporis :	Aurelius Menelas.	Cyzicus.			*C. I. G.*, 3665.
»	M. Aurelius Zeno.	Smyrna.			Wadd., *I. d'As. Min.*, p. 20.
»	Ti. Claudius Pisyninus.	Teos.			*Id.*, *ibid.*, p. 106.
»	?	Miletus.			*Id.*, *ibid.*, p. 213.
»	M. Antonius Antiochus.	Tichiussa.			*Id.*, *ibid.*, p. 244.
»	Antonius Apollodorus pater.	Tichiussa.			*Id.*, *ibid.*
»	Id. filius.	Tichiussa.			*Id.*, *ibid.*
»	M. Aurelius.	Mylasa.	ἄρχων.	ἱερεὺς Φοιϐίας.	*Id.*, *ibid.*, p. 372.
»	Manilius Alexander.	Philadelphia.			*Id.*, *ibid.*, p. 649, 1669.
»	Aurelius Apollophanes.	Smyrna.			*C. I. G.*, 5945.
»	Julianus.	Smyrna.		βάκχος τοῦ Διονύσου — νεωκόρος τῶν Σεϐαστῶν — στεφανηφόρος.	*Ibid.*, 3190.

Incerti temporis :	Julius Aurelius Musonius.	?			*C. I. G.*, 5946.
»	Numerius Castricius.	Cos.			*Ibid.*, 2511.
»	Aurelius Gratus.	Cyzicus.			*Ibid.*, 3677.
»	Clistothenes Flavius.	?			*Mitth. Athen*, 1883, p. 331.
»	Timo.	Smyrna.			*C. I. G.*, 3213.
»	Q. Statius Themistocles.	?			Ἀθήναιον, V, p. 198. *C. I. A.*, III, 712ª.
»	Clitosthenes Julianus.	Thera.			*C. I. G.*, 2464.
»	M. Julius Aurelius Dionysius.	Ephesus.		ἱεροκῆρυξ.	*Ibid.*, 2990.
»	T. Flavius Munatius.	Ephesus.	γραμματεύς.		*Ibid.*
»	L. Antonius Hyacynthus.	Laodicea.	στρατηγός.		*Ibid.*, 6541.
»	Ti. Julius Reginus.	Ephesus.			Wood, *I. fr. the gr. theatre*, n° 18.
»	C. Julius Julianus Tatianus.	Thyatira.	ἀγορανόμος.	ἀρχιερεὺς διὰ βίου; — ἀγωνοθέτης.	*C. I. G.*, 3495.
»	Annianus.	Thyatira.	πρῶτος τῆς πατρίδος.	ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν.	*Ibid.*, 3504.
»	Hermophilus.	Sardes.			Eckhel, IV, p. 207.
»	Moschianus.	Ephesus.			Μουσεῖον τῆς Εὐαγ. σχ. ἐν Σμύρνῃ, 1880, p. 179.
»	Ti. Claudius Polemo.	Cibyra.			*Bull. corr. hell.*, II, p. 594.
»	Ti. Claudius Hiero.	Cibyra.		ἀρχιερεύς.	*Ibid.*
»	Ti. Claudius Dejoterianus.	Cibyra.			*Ibid.*
»	Flavius Craterus.	Cibyra.		ἀρχιερεύς.	*Ibid.*
»	Claudius Aristeas.	?			Benndorf und Niemann, *Reisen in Lykien und Karien*, p. 156.
»	Eunus.	Adramyttium.			*Bull. corr. hell.*, IV, 375.
»	Pompeius Hermippus.	?	γραμματεὺς τοῦ δήμου.	νεωχόρος τῶν Σεβαστῶν.	Μουσεῖον τῆς εὐαγ. σχ. ἐν Σμύρνῃ, 1880, p. 177.

Plerique asiarchæ, quos in ea tabula memoravimus, Valeriani principis morte sinè dubio non sunt recentiores. Indè ab actiaca pugna usque ad mortem Valeriani numerantur anni CCXC, intra quod tempus electi fuerunt asiarchæ circiter LXX. Inter quos quinquaginta ferè jàm noti sunt.

Carrière

CAPUT V.

QUINAM FUERIT SACERDOTIBUS ASIÆ CURSUS HONORUM.

Ii potissimùm ad summum Asiæ sacerdotium deligebantur qui primùm municipalibus magistratibus et flaminiis, deinde etiam inferioribus provinciæ sacerdotiis functi erant. Quod ut confirmem, hos proferam cursus honorum :

Bargyliæ : « ἱερεὺς τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Κινδυάδος καὶ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος — στεφανοφόρος τὸ β′ — ἀρχιερεὺς τοῦ αὐτοκράτορος Τίτου Καίσαρος Σεβαστοῦ υἱοῦ Σεβαστοῦ Οὐεσπασιανοῦ — ὁ ἀπὸ τῆς πόλεως ἀρχιερεὺς Θεᾶς Ῥώμης καὶ Θεοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος (1). »

Thyatiræ, Annianus : « πρῶτος τῆς πατρίδος — ὁ ἄριστος τοῦ λαμπροτάτου τῆς Ἀσίας ἔθνους — ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν — ἀσιάρχης (2). »

Smyrnæ, Julianus : « βάκχος τοῦ Διονύσου — νεωκόρος τῶν Σεβαστῶν — στεφανηφόρος — ἀσιάρχης (3). »

(1) *Bull. corr. hell.*, V, p. 192.
(2) *C. I. G.*, 3504.
(3) *Id.*, 3190.

des Grands prêtres

Æzanis, Lepidus : « ἀρχινεωκόρος — ἱερεὺς τοῦ αὐτοκράτορος διὰ βίου — στεφανηφόρος καὶ ἀγωνοθέτης ἀποδεδειγμένος τῆς πατρίδος — ἀρχιερεὺς ναῶν ἐν Σμύρνῃ (1). »

Philadelphiæ, Julius Calpurnius : « ἀρχιερεὺς τῆς λαμπροτάτης πατρίδος — ἀρχιερεὺς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Περγάμῳ (2). »

Acmoniæ, M. Salvius Hiero : « σεβαστοφάντης (flamen Augusti), — ἀρχιερεὺς Ἀσίας ναοῦ τοῦ ἐν Ἐφέσῳ κοινοῦ τῆς Ἀσίας (3). »

Ephesi, M. Julius Aurelius Dionysius : « ἱεροκῆρυξ — ἀσιάρχης (4). »

Smyrnæ, M. Ulpius Apuleius Euryclès : « ἀρχιερεὺς τῶν ναῶν ἐν Σμύρνῃ τὸ β′ — ἀρχιερεὺς Ἀσίας ἀποδεδειγμένος — λογιστής (5). »

Asiarchas plerosque scimus summo magistratu, in municipio quemque suo, ornatos esse et ob eam causam nummos municipales nomine suo signavisse :

(1) *C. I. G.*, *add.*, 3831[a 18].
(2) Waddington, *I. d'As. Min.*, 653.
(3) *Id.*, *ibid.*, 755.
(4) *C. I. G.*, 2990.
(5) Waddington, *I. d'As. Min.*, 2741. — *Bull. de corr. hellén.*, IX, p. 71 : « κατὰ τὴν Οὐλπίου Εὐρυκλέους τοῦ λογιστοῦ κέλευσιν. » — Simili modo laudant in Lycia lapides virum quemdam « ἀρχιερέα τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματέα Λυκίων τοῦ κοινοῦ, » patrem scilicet Ti. Claudii Cæsiani Agrippæ « ἀρχιερέως τῶν Σεβαστῶν, καὶ γραμματέως Λυκίων τοῦ κοινοῦ, » et « τετειμημένον ὑπό τε τῆς πόλεως καὶ τοῦ ἔθνους. » Memorant etiam alii lapides Q. Veranium Q. Veranii Ptolemæi filium « ἀρχιερατεύσαντα τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματεύσαντα καὶ ἱερατεύσαντα καὶ ἀρχιφυλακήσαντα τῷ ἔθνει καὶ πρεσβεύσαντα πρὸς τοὺς Σεβαστοὺς εἰς Ῥώμην δωρεάν, τελέσαντα δὲ καὶ τῇ πατρίδι τὰς λειτουργίας πάσας, τειμηθέντα ὑπὸ τῆς πόλεως. » (*Reisen in Lykien und Karien, beschrieben von* Otto Benndorf *und* George Niemann, Wien, 1884, p. 65.)

PATRIA	ASIARCHÆ	MAGISTRATUS MUNICIPALES
Hypæpæ	M. Aurelius	πρῶτος ἄρχων (1)
Sardibus	Cornelius Vettenianus	στρατηγός (2)
Cyzici	P. Ælius Artemidorus	στρατηγός (3)
Pergami	Aurelius Dama	στρατηγός (4)
Pergami	Ælius Pollio	στρατηγός (5)
Sardibus	Domitus Rufus	στρατηγός (6)
Stectorii	Aurelius	ἄρχων (7)

Alios asiarchas in patria sua aut γραμματεῖς aut λογίστας electos esse constat (8).

Fuere etiam designati provinciæ sacerdotes qui in castris stipendia meruissent :

In insula Melo, Ti. Claudius Frontonianus : « τὰς Γ′ στρατείας ἐπιφανῶς στρατευσάμενος — β′ τῆς Ἀσίας ἀρχιερασάμενος καὶ ἀγωνοθετήσας (9).

Alii et inter equites romanos censebantur et ad equestria munera provecti erant :

Cibyræ, Ti Claudius Polemo : « ἱππικὸς — ἀσιάρχης (10). »

Trallibus, C. Julius Philippus : « procurator Augus-

(1) Mionnet, IV, p. 55; *suppl.*, VII, p. 359.
(2) Eckhel, IV, 207.
(3) Mionnet, II, p. 549.
(4) Eckhel, IV, 207.
(5) *Id., ibid.*
(6) *Id., ibid.*
(7) Mionnet, IV, p. 362.
(8) Wood, *Inscr. from. the temple of Diana*, n° 13. *C. I. G.*, 2912, 2990, etc.
(9) *Bull. corr. hell.*, II, p. 523.
(10) *Bull. corr. hell.*, II, p. 594.

torum, — ἀρχιερεὺς καὶ ἀγωνοθέτης — ἀρχιερεὺς Ἀσίας — ἀγωνοθέτης διὰ βίου — ἀσιάρχης (1). »

Ad summos honores facilis via patebat eis qui patre aut avo sacerdote gloriabantur, præsertim asiarchâ :

Tei in Ionia : « filia ἀρχιερέων Ἀσίας — ἱέρεια τοῦ τῆς πόλεως θεοῦ Διονύσου — ἀρχιέρεια Ἀσίας (2). »

Thyatiræ in Lydia, C. Julius Julianus Tatianus : « Υἱὸς Γ. Ἰουλίου Ἱππιανοῦ καὶ Κορνηλίας Σεκούνδης ἀρχιερέων τῆς Ἀσίας — ἔκγονος Φλαβίου Μοσχίου ἀρχιερέως — ἀπόγονος Φλαβίου Ἱππιανοῦ καὶ Τατίας ἀρχιερέων — ἀγορανομήσας τριτεύσας — ἀρχιερεὺς διὰ βίου — ἀγωνοθέτης — ἀσιάρχης — πρεσβεύσας πρὸς τὸν Αὐτοκράτορα (3). »

In aliis provinciis similem exstitisse cursum honorum multa testantur marmora, è quibus hæc sola transcribam :

In Galatia : « Σεβαστοφάντης διὰ βίου τῶν Θεῶν Σεβαστῶν — ἀρχιερεὺς τῶν Γαλάτων — Γαλατάρχην (4). »

In Narbonensi Sex. Attius Sex. fil. Volt. Creticus Viennensis : « *Omnibus honoribus in patria sua functus, — flamen provinciæ Narbonensis* (5). »

Cum marmoribus et nummis congruit hoc Censorini : « Tu tamen officiis municipalibus functus, honore sacerdotii in principibus tuæ civitatis conspi-

(1) *C. I. G.*, 2933, 2790. Waddington, *I. d'As. Min.*, 605 ; *Mitth. des deutch. Instit. in Athen*, 1883, p. 323.

(2) Waddington, *I. d'As. Min.*, 110.

(3) *C. I. G.*, 3495.

(4) *Id.*, 4031, 4016.

(5) Herzog, *Gall. Narb. histor.*, *app.* n° 501.

cuus (1). » Quem denique morem imperatores in legis formulam redegerunt : « Nec à duumviratu vel à sacerdotio incipiat, sed, servato ordine, omnium officiorum sollicitudinem sustineat (2). »

(1) Censorinus, 15. Godefroy, *Paratitl. ad cod. Th.*, 16, 10.
(2) *Cod. Theod.*, L., 77; *De decur.*, XII, 1.

CAPUT VI.

DE COMMUNIBUS ASIÆ SACRIS ET LUDIS.

Quotannis Asiæ provinciæ synedri coire solebant qui concilium agerent et sacris fungerentur et vota nuncuparent pro salute et valetudine aut victoria principis. In hoc tempus celebrata fuerunt spectacula, quod fecisse constat illum sæpissimè tùm in marmoribus tùm in Historia ecclesiastica memoratum M. Julium Philippum : « θέας δόντα ὑπὲρ τῆς τοῦ Σεβαστοῦ σωτηρίας καὶ ὑγιείας καὶ νείκης (1). » Quinto quoque anno, ut quondam universi Græciæ populi ad Olympia, ità ex universis Asiæ provinciæ partibus turba frequens ad magnos ludos concurrebat, qui dicti sunt « Κοινὰ Ἀσίας. »

In diversis provinciæ civitatibus ubi exstabant communia Asianorum templa, in Lydia Ephesi et Smyrnæ et Sardibus et Philadelphiæ et Trallibus, in Phrygia Laodiceæ et Synnadæ, in Mysia Pergami et Cyzici et Lampsaci actos esse scimus festos totius

(1) Waddington, *I. d'As. Min.*, 1723c.

Tézé! et

Asiæ dies (1). Ut primis imperii romani temporibus paucissimæ tantùm civitates Asianæ communibus ædificiis potitæ sunt, ità initio paucissimas penès civitates fuit jus asianis ludos communes celebrantibus hospitium præbendi. Quod testari videtur antiquus ille titulus, in quo Κοινὰ Ἀσίας appellantur : « Ῥωμαῖα Σεβαστὰ τὰ τιθέμενα ὑπὸ τοῦ Κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Περγάμῳ (2) ; » ex ipsa enim inscriptione liquet ludos communes circà templum Romæ et Augusti Pergamenum, quo nullum vetustius in provincia, fuisse institutos. Aliquid in jure civitatum mutatum esse deprehendi potest è nummis smyrnæis, in quarum altera parte efficta quidem sunt capita Severi, Maximini, Gordiani, Galliani, in altera autem legitur : « πρῶτα κοινὰ Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ, » « πρῶτα κοινοῦ τῆς Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ (3). » Sardibus verò Lydiæ, in nummis qui ornantur capitibus non solùm Domnæ et Caracallæ, sed jàm Drusi junioris et Germanici, inscriptum est : « Κοινὸν Ἀσίας » vel « Κοινὸς (ἀγὼν) Ἀσίας (4). »

Ut quondam civitates Ionum in Panionio, ità nunc Asianarum civitatum legati, loco quisque suo, secundùm ordinem quemdam certis legibus constitutum, ludis Asiæ communibus aderant. De illo ordine præsidendi acerrimam exstitisse contentionem testantur cùm alii, tùm præsertim ille nummus in quo Magnesia de se, utpote de septima Asiæ civitate (ἑβδόμη

(1) Cf. *part.* II, *cap.* I et II.
(2) *Bull. corr. hell.*, 1881, p. 230, n° 20.
(3) Mionnet, *Ionie*, 1403, 1404, 1406. Eckhel, II, 559.
(4) Eckhel, III, p. 117 et seq. Mionnet, *Lydie*, 750.

'Ασίας) (1), gloriosè prædicat. De primatu autem sic obstinatè inter præcipuos provinciæ populos dimicatum est, ut etiam proconsulibus risum moverent (2). Decertantes : « περὶ τοῦ πρωτείου » populos nunc indignantur rhetores, nunc irrident (3). *Primatu* Asiæ et in marmoribus et in nummis gloriantur civitates numero tres, scilicet Pergamum, Ephesus, Smyrna. Smyrnæi sese dixerunt *primos* Asiæ et pulchritudine et magnitudine (4); Pergameni à Trajani tempore *primatum* Asiæ præ se tulerunt (5); ità ut Ephesii, quarum civitas provinciæ totius caput reipsa existimanda est, principibus Macrino, deinde Elagabalo, nomen *primorum inter primos* (ἡ πρώτη πασῶν καὶ μεγίστη μόνων πρώτων 'Ασίας) sibi vindicare sint coacti (6). Ne quem fugeret quid sibi vellet illa tàm acriter appetita « πρωτεία, » curaverunt Ephesii ut in nummis Maximini et Macrini, qui inscribuntur « 'Εφεσίων πρώτων 'Ασίας, » effingerentur multæ figuræ causa sacrificii stantes ante templum manusque attollentes (7). Similia de præsidendi et præcedendi jure certamina irrident Lucianus et rhetores ejusdem ætatis, in Achaia Atheniensium et Lacedæ-

(1) Eckhel, II, 527.
(2) Dio. Chrysost., II, p. 148.
(3) Aristid., I, p. 771, 775, 790. Philostrat., *Vit. Soph.*, 8. Herodian. III, 2.
(4) Eckhel, II, 559 et seq.
(5) *Id.*, II, 472.
(6) *Id.*, II, 521.
(7) Eckhel, II, 517.

moniorum (1), in Bithynia Nicomædiæ et Nicææ (2). Cùm ad festos dies concurreret Asia tota, omnium ante oculos obversabantur illa jura præsidendi et præcedendi (πρωτεία, προπομπεία), et in illa pompa magnifica, cui præerat in Bithynia *Bithyniarcha*, in Asia *Asiarcha*, et apud aras Romæ et Augusti cùm sacrificaretur, et in concilio cùm synedri cujusque sententia rogaretur, et in theatro et in ludis ubi, Græcorum veterum instar, isti Græculi superbirent illa quam dixere « προεδρίαν. »

Pompam, quæ Panathenaicorum et Olympiorum instar videtur instituta esse, ducebat sacerdos Asiæ quinquennalis, *Asiarcha* scilicet, cujus curâ atque in majorem partem impensis edebantur ludi. Sequebantur *agonothetæ* (3), *gymnasiarchæ* (4), *xystarchæ* (5), *et certaminum judices* quorum collegio præerat « ὁ πρωθελληνοδίκης (6), » et reliqui provinciæ sacerdotes et civitatum legati ab eo ducti qui « πρῶτος Ἀσίας, » id est concilii Asianorum princeps, dicitur (7). Postquàm ante aram Romæ et Augusti vota pro imperatore quinquennalia nuncupata erant et peractæ religiones, populo circùm fremente, tan-

(1) Lucian., *Amores*, 18. Irenæus sophista Περὶ τῆς Ἀθηναίων προπομπείας (Suidas).

(2) Hœnel, *Corp. juris antejustiniani*, p. 220 : *Valentiniani rescriptum*.

(3) *C. I. G.*, *add.* 3831[a9]. *Bull. corr. hell.*, II, p. 523. Wood, *Inscr. fr. the theatre*, n[os] 9, 14, 18. Waddington, *I. d'As. Min.*, 1652[c]-1753[c].

(4) Waddington, *I. d'As. Min.*, 1723[c].

(5) *C. I. G.*, 2583.

(6) *Annali di corr. arch.*, 1865.

(7) *Mitth. des deutsch. Instit. in Athen*, 1883, p. 331.

dem, coràm universis Asiæ provinciæ magistratibus, sacerdotibus, synedris, Asianorum turba ludos spectabat hians.

Olympia constituendis in ludis imitati sunt, ut provinciarum in Oriente plerarumque, sic Asiæ provinciales. Appellantur enim interdùm Asianorum ludi « Ὀλύμπια κοινὰ τῆς Ἀσίας (1). » Novimus homines qui in variis ludorum Asiæ certaminibus vicerunt, scilicet : « ἀνδρῶν παγκράτιον (2), » et « στάδιον (3), » et « ἀνδρῶν δόλιχον (4), » et « ἀγενείων πυγμήν (5), » et « παῖδας πυθικοὺς πένταθλον (6). » Edita sunt etiam, quamvis ea voluptas Romanorum magis quàm Græcorum ingenio fuerit accommodata et raræ supersint in ea regione amphitheatrorum ruinæ, edita sunt in communibus Asiæ ludis gladiatoria munera et venatio circensis : nàm memoratur in lapidibus « φαμιλία μονομάχων » Asiarcharum Aurelii Grati et Timonis, illius Cyziceni, hujus Smyrnæi (7), et aliàs « φαμιλία μονομάχων καὶ ὑπόμνημα κυνηγεσίων Νεμερίου Καστρικίου ἀσιάρχου (8). » Fuit etiam in ludis asianis suum artibus et litteris jus attributum quippe vicit Ephesi vir quidam in marmore dictus « κιθα-

(1) C. I. A., III, 724.
(2) Waddington, *I. d'As. Min.*, 1620[b].
(3) Wood, *Inscr. fr the. great theatre*, n° 14.
(4) *Bull. corr. hell.*, IX, p. 69.
(5) *Ibid.*, 8.
(6) *Ibid.*, 1881, p. 230, n° 20.
(7) *C. I. G.*, 3677, 3213.
(8) *Id.*, 2511.

ρῳδὸς ἱερονείκης καὶ μελοποιὸς ἔνδοξος (1), » et in honorem Juliani cujusdam, qui bis asiarchia functus est, statuam « διὰ τὴν πρὸς αὐτοὺς διάθεσιν » dedicavit « ἡ ἱερὰ σύνοδος τῶν περὶ τὸν Βρείσεα Διόνυσον τεχνειτῶν καὶ » μυστῶν (2). »

In memoriam ludorum communium Asiæ civitates nummos ferire solebant. Exstant monetæ aureæ, argenteæ, æreæ, inscriptæ « *Com(mune) Asiæ* — » *Ro(mæ) et Augusto*; » — « Κοινὸν Ἀσίας Ῥώμῃ » καὶ Σεβαστῷ; » — « Κοινὸν Ἀσίας; » — « Κοι- » νὸν τῆς Ἀσίας; » — « Κοινὰ Ἀσίας; » — « Κοι- » νὸς Ἀσίας (ἀγών), etc., » quæ diversis temporibus sunt ictæ Pergami, Ephesi, Smyrnæ, Sardibus et in aliis civitatibus (3). Sæpissimè etiam asiarchæ et Asiæ sacerdotes suo nomine signavere nummos, plerumque ob magistratus quibus simul in municipio quisque suo fungebantur, interdum tamen ob ipsam asiarchiam aut sacerdotium : cujus rei quatuor exempla proferam. Nàm et inscripti sunt Eumeniæ in Phrygia nummi quidam « ἀρχιερεὺς Ἀσίας (4); » et Peperenæ in Mysia moneta maximi moduli « ἐπὶ » ἀγωνοθ(έτου) κὲ (*sic*) ἱερέος διὰ βίου τῶν Σεβ(αστῶν) Γλύ- » κωνος (5); » et asiarcha quidam dedicavit patriæ

(1) *C. I. G.*, 3206.

(2) *Id.*, 3190.

(3) Cf. Cohen, *Monn. impér.*, I, p. 112, 124, 125, 157, 188, 387, 466 et 45-48; II, p. 3-4, 174, 236, etc. Eckhel, II, 521, 559; III, 117 et seq.; VI, 245, etc. Mionnet, *Lydie*, 750, etc., etc. Lenormant, *tom.* III, *loc. cit.*

(4) Mionnet, *Supp.*, VII, p. 564, nº 355. Lenormant, *Monnaie dans l'antiq.*, III, p. 111.

(5) Mionnet, *Suppl.*, t. V, p. 483, nºˢ 1207, 1208. Lenormant, *Monn. dans l'antiq.*, III, p. 125.

suæ, minimæ quidem in Phrygia civitati, hos nummos « Ἀλέξανδρος ἀσιάρχης ἀνέθηκεν — Ὀτροήνων (1) ; » et principibus Antonino et M. Aurelio, Claudio Frontoni, summo Ionum sacerdoti et asiarchæ, privilegium datum est ut maximi moduli nummos ederet (2).

(1) Mionnet, IV, p. 347, nos 874-877. Lenormant, III, p. 139.
(2) Mionnet, *Ionie*, 1.

Caine

CAPUT VII.

DE COMMUNI ASIANORUM ARCA.

Ditissima fuisse Græcorum templa tùm ex multis aliis testimoniis, tùm ex illis rationibus ad ædem Apollinis Deliaci pertinentibus, quæ nuper sunt effossæ, concludendum est. Quæ divitiæ constabant ex ædibus, statuis, auro, argento, domibus, agris, servis multisque rebus aliis. Quibus administrandis præfecti erant aut sacerdotes aut magistratus electi, à quibus rationem reposcebant aut ipse populus aut synedri.

Indè ab Augusti tempore possedere communiter Asiani multa templa, quæ in urbibus provinciæ præcipuis exstructa erant (1), scilicet in Lydia Ephesi, Smyrnæ, Sardibus, Philadelphiæ, in Phrygia Laodiceæ, Synnadæ, in Mysia Pergami, Cyzici, Lampsaci (2). Citatur quoque tabularium provinciæ Asiæ,

(1) De statuis, quibus ornata sunt Asiæ provinciæ communia templa, vide inclytum quoddam artificum Ephesiorum ψήφισμα « ψηφίσασθαι καὶ εἰκόνας ἐπιχρύσους καὶ ἀνδριάντας ἀναστῆσαι ἔν τε τοῖς ἱεροῖς τῆς Ἀσίας τῶν αὐτοκρατόρων ναοῖς » (*Bull. corr. hell.*, IX, pp. 124 et seq.).

(2) Cf. *partem* II, *caput* 1.

Du κοινον

ædificatum Ephesi : incertum autem utrùm illud ad proconsulem an ad Κοινὸν Ἀσίας pertineat (1). Sed, ut in occidente memoratur quidam « libertus trium Galliarum (2), » sic legitur in marmore ephesio : Ἐφεσίων παισὶ καὶ θεσμῳδοῖς ναοῦ τῶν Σεβαστῶν ἐν Ἐφέσῳ κοινοῦ τῆς Ἀσίας (3), et laudatur in lapide Cariæ Nysæo nomen cujusdam θεολόγου ναῶν τῶν ἐν Περγάμῳ (4). Ad extruenda et resarcienda provinciæ ædificia, ad subveniendum sacerdotibus qui provinciæ nomine ludos ederent, aut legatis qui provincialium vota et desiderata ad imperatorem ferrent, ad erigendas statuas, ad inscribenda decreta multaque alia, ingens pecuniarum copia fuit impendenda. Ut in Gallia (5), sic in Asia et cæteris provinciis exstitit arca provincialis.

Singulæ autem proconsularis Asiæ civitates in arcam provincialem vectigalia contulêre; quod et de Gallia et de Lycia abundè traditum est, et de Asia testatur Dio Chrysostomos in oratione Apameæ habita (6). Potuerunt etiam provinciæ sacerdotes à privatis hominibus pecunias accipere, quarum usuræ (τόκος) ad cærimonias clariores efficiendas impenderentur. Legitur enim in marmore quodam, quod

(1) Menadier, *Qua conditione Ephesii usi sint*, p. 6. Memoratur quoque ἀρχεῖον Aphrodisiade (*C. I. G.*, 2842), Eumeniæ (3892), Smyrnæ (3292, 3295, 3318, 3335, 3356), Assi (3573); et γραμματεῖον Nysæ (2943).

(2) Orelli-Henzen, 6393.

(3) Wood, *Insc. fr. the great theatre*, n° 1, colonne 6.

(4) *Bull. corr. hell.*, IX, pp. 124 et seq.

(5) Boissieu, *I. de Lyon*, pp. 278-279.

(6) Dio Chrys., II, p. 70 R. Cf. Strabo, IV, 3, 2. Boissieu, *I. de Lyon*, pp. 278-279.

Ephesi in ruinis theatri modò repertum est : ὁμοίως δώσει ἀπὸ τοῦ προγεγραμμένου τόκου τῷ ἀρχιερεῖ ἐν Ἐφέσῳ ναοῦ κοινοῦ τῆς Ἀσίας... ὅπως... κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον τῇ γενεσίῳ τῆς Θεοῦ ἡμέρᾳ ἐπιτελεῖ (1). Similem in modum C. Titius Valentinus testamento civitatem Pisaurum donavit pecuniis, quarum usura quinto quoque anno ad gladiatoria munera adhibenda esset (2). Varios etiam in modos pecuniæ in arcas provinciarum confluebant; quippe narrat Tacitus ab Othone principe provinciæ Bæticæ attributa esse aliquot urbium Mauretaniæ vectigalia (3), et quâdam constitutione imperatorum Arcadii et Honorii abolitum est quoddam tributum quod eatenùs ex prædiis senatorum ad ludos Syriarcha exegerat (4).

Galliarum scribæ plures noti sunt, quibus arcæ provincialis cura mandata erat; scilicet *inquisitor Galliarum* et *judex arcæ Galliarum* et *allector Galliarum*. Similem in modum arcæ provincialis Asianorum serviebat quidam ἀργυροταμίας τῆς Ἀσίας (5); Antiochiæ quoque in Pisidia laudatur *curator arcæ sanctuarii* (6). Quibus scribis, sicut et universis provinciæ sacerdotibus, pecuniarum et omnium rerum quas possiderent communiter Asiani, ratio reddenda erat in communi provinciæ concilio.

(1) Wood, *Inscr. fr. the gr. theatre*, nº 1, colonne 5.
(2) Orelli-Henzen, nº 81.
(3) Tacit., *Histor.*, I, 78.
(4) *Cod. Theod.*, I, *De præd. senat.*, VI, 3.
(5) *C. I. G.*, 2782.
(6) Arundell, *Discoveries in Asia Minor*, I, p. 288.

CAPUT VIII.

DE COMMUNI ASIÆ PROVINCIÆ CONCILIO ; QUID IN REBUS PUBLICIS VALUERIT.

Asiæ provinciæ concilium videtur primis imperii romani temporibus actum esse apud Ephesum solam, scilicet in metropoli, deinde et in aliis locis ubì exstructa erant communia templa. Constabat ex synedris qui singuli à singulis civitatibus, sic tamen ut plures à majoribus, electi erant. Ut in Gallia, sic in Asia, synedri à civibus suis mandata ferebant, teste rhetore Aristide (1).

In concilio, sicut et in ludis, suus cuique locus certum in modum erat attributus. De primatu diù certavere Pergamum, Ephesus et Smyrna; quæ certamina inter Asianos περὶ πρωτείας acta sæpiùs irrisere rhetores ejus temporis atque ipsi Romani (2). Præsidebat summus Asiæ sacerdos. Fuit etiam quidam, ut in Urbe princeps senatûs, sic in Asia prin-

(1) Aristid., *Orat.*, pp. 344-346.

(2) Dio Chrysost., II, p. 148. Aristid., I, pp. 771, 775. Philostr., *Vit. Soph.*, 8.

ceps Asiæ ; nàm et vir clarissimus qui bis asiarchia functus erat, appellatur in quodam lapide πρῶτος Ἀσίας (1), et alter, Thyatira oriundus, dicitur ὁ ἄριστος τοῦ λαμπροτάτου τῆς Ἀσίας ἔθνους (2).

Ante omnia, coràm proconsule Asiæ, à sacerdotibus Romæ et Augusti, à synedris vota solemnia pronuntiabantur pro salute imperatoris (3). Quinto quoque anno, majore apparatu, proferebantur vota quinquennalia, edebantur ludi. M. Julium Philippum, bis agonothetam et gymnasiarcham « ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, » laudat lapis pergamenus, utpote qui spectacula ediderit pro salute et valetudine et victoria Augusti (4).

Peractis cærimoniis, recitabantur sacerdotum et scribarum provinciæ rationes, templorum latercula : de tributis, de impensis, de rebus universis ad arcam provincialem pertinentibus disputabatur ; singulis provinciæ civitatibus indicebantur sua vectigalia in annum proximum.

Tùm agebatur de sacerdotibus eligendis, et oriebatur magna æmulatio civitatum, ambitio candidatorum. Jactabant, superbiâ planè asiana, sui generis claritatem, patrem, avos, fratres, adfines (5) asiar-

(1) *Mitth. des deutsch. Instit. in Athen.*, 1883, p. 331.

(2) *C. I. G.*, 3504.

(3) Plin., *Epist.*, X, 28, 44, 45, 60, 101. Cf. Fustel de Coulanges, *Inst. polit.*, p. 119 : « Cette prière et ce serment, dont parle Pline, étaient certainement prononcés par les prêtres que la province elle-même avait élus. »

(4) Waddington, *I. d'As. Min.*, 1723c.

(5) « συγγενῆ Μανιλίου Ἀλεξάνδρου ἀσιάρχου » (*C. I. G.*, 3421).

chas, sua ipsorum sacerdotia, facultates, merita, amicitiam principis. Interdùm et conducta erat turba vociferans, synedrorum suffragia vi flagitans (1). Præsertim de summo sacerdotio contendebatur, cujus claritate patria sacerdotis videbatur clarescere. Postremò inscribi plura nomina candidatorum, inter quos proconsuli jus erat eligendi (2).

Deinde synedri de variis rebus decernere. Quæ provinciarum decreta multi scriptores et lapides sæpius laudant in Gallia, Hispania citeriore, Cretâ, Phœniciâ, aliisque (3). Etiam in Asia memorantur « ψηφίσματα, δόγματα τῆς Ἀσίας » (κατὰ τὰ δόξαντα καὶ ψηφισθέντα ὑπὸ τοῦ λαμπροτάτου τῆς Ἀσίας ἔθνους — ψήφισμα τῆς Ἀσίας) (4). » Quæ a provinciali concilio decreta erant, scimus inscripta esse in præcipuis civitatibus, iis scilicet quæ conventuum capita censebantur: quippe Eumeniæ in Phrygia inventus est lapis, in quo legitur « δελτογράφημα τοῦ ἀνθυπάτου καὶ ψήφισμα τῆς Ἀσίας » inscribendum fuisse « ἐν ταῖς ἀφηγουμέναις τῶν διοικήσεων πόλεσιν (5). »

(1) Pauli, *Sent.*, V, 30ᵃ.

(2) Aristid., *Oratio* XXVI, pp. 344-346.

(3) *C. I. G.*, 2595, 2596, 2597. *C. I. L.*, III, 167; II, 2221, 2344. Orelli-Henzen, 3650, 3653, 5968, 6944, 6950, etc.

(4) *C. I. G.*, 3902ᵇ. Perrot, *Inscr. d'As. Min.*, p. 5, *Rev. arch.*, 1875, et 1885, *juillet-août*, p. 104.

(5) *C. I. G.*, 3902ᵇ. — Interdùm etiàm in patriâ hominis cui honores erant decreti, inscripta sunt τὰ τοῦ Κοινοῦ ψηφίσματα, quod testatur hoc Asianorum decretum : « ἔδοξεν τοῖς ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ἕλλησιν.... τειμᾶσθαι εἰκόνι χαλκῇ ἐνόπλῳ ἐπιχρύσῳ καὶ τὴν μὲν εἰκόνα τεθῆναι ἐπὶ τῇ πατρίδι τῆς Θεόφρονος... διαπεμφθῆναί τε τῆς ἐπιγραφῆς τὸ ἀντίγραφον πρὸς Ὑπαιπηνούς. » (*Revue archéol*, 1885, *juillet-août*, p. 104).

Corrigi ... Ja

Illa decreta synedrorum Asiæ pertinuere plerumque ad ornandos laudibus viros aut statuas erigendas aut consecranda templa. Scimus tamen et ab Asianis concessa esse Thyatiræ jura quædam præsidendi, et in Achaia, consentientibus civitatum græcarum legatis, communibus impensis erecta esse granaria (1), et duarum civitatum de finibus ambigentium litem a communi Thessalorum fuisse compositam (2).

Exspectabat etiam, non sine quadam sollicitudine, proconsul Asiæ, quid de ipso decerneret commune concilium. Provincialium enim jus erat præsidem provinciæ aut laudare aut apud principem et senatum accusare. Quem exstitisse morem adhuc integra republica, testatur Cicero de Sicilia (3). Constituit Augustus ne cui provinciæ liceret præsidem ullum laudare aut adhuc imperantem aut nisi abhinc sexaginta dies munere se abdicasset : nempe acciderat ut laudati a provincialibus præsides eos deinde vexarent (4). Suo jure provinciales sic acriter usi sunt ut increparet Pœtus Thrasea « novam provincialium superbiam (5). » Tiberio principe, anno à Christo 22, Asiani C. Silanum, pro consule Asiæ, repetundarum postulaverunt miseruntque Romam, qui eum accusarent in senatu, « facundissimos totius Asiæ (6). » Anno

(1) Le Bas-Fouc., *Még. et Pél.*, 38.
(2) Le Bas, *Voyage archéol.*, 1189.
(3) *In Verr. acc.*, 2, 5, 13 ; 2, 26, 64 ; 5, 22, 57, etc.
(4) Dio Cass., LVI, 25.
(5) Tacit., *Ann.*, XV, 20.
(6) *Id.*, *ibid.*, III, 66-69.

Renan

sequente, « procurator Asiæ, Lucilius Capito, accusante provincia, causam dixit, magna cum asseveratione principis non se jus, nisi in servitia et pecunias familiares, dedisse; quòd si vim prætoris usurpasset manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua; audirent socios. Ità reus, cognito negotio, damnatur (1). » Nerone principe, cùm reus ageretur Claudius Timarchus Cretensis « quòd dictitasset in sua potestate situm an proconsulibus qui Cretam obtinuissent grates agerentur, » censuit in senatu Pœtus Thrasea non jam concedendum esse provincialibus tale jus : « Nàm ut metu repetundarum (inquit) infracta avaritia est, ità, vetita gratiarum actione, ambitio cohibebitur. » Mox, auctore principe, factum est de hac re senatusconsultum; sanxêre enim patres « ne quis ad concilium sociorum referret agendas apud senatum pro prætoribus prove consulibus grates, neu quis ea legatione fungeretur (2). » Non diù tamen interdictum esse provinciarum conciliis jure laudandi præsides, testantur multi scriptores et lapides (3).

Sæpius etiam ab Asianis deligebantur legati qui aut ad senatum aut ad principem ferrent Asiæ provinciæ vota, desiderata, postulata. Cùm vetuisset Domitianus ne quis in Asia vineam coleret, legati Romam missi sunt, inter quos sophista Scopelianus,

(1) *Id.*, *ibid.*, IV, 15.
(2) Tacit., *Ann.*, XV, 20-22.
(3) Lamprid., *Al. Sever.*, 22. Ammian., 30, 5, 8. Cassiodor., *ep.* 7, 2, etc.

qui celeberrimorum Asiæ vinorum causam agerent (1). Nec proconsuli permissum ut eis legationibus provincialium obstaret (2). Posteà decrevere principes ut provinciæ singulæ quotannis legatos Romam mitterent, legati autem, quod mandatum esset, nihil mutatum exprimerent (3). Existimem exstitisse quoque in senatu romano, sicut singularum civitatum, Asiæ totius patronos ; nàm, teste Tacito, postquàm senatusconsulto permissum est ut Asiæ urbes templum Tiberio matrique ejus ac senatui sisterent, Asianorum nomine Nero, Germanici filius, egit « grates ea causa patribus atque avo (4). »

Postremò recitabantur in Asiæ communi concilio aut aliarum provinciarum epistolæ (hujusmodi : « Ἄρχων τῶν Πανελληνίων καὶ ἱερεὺς Θεοῦ Ἁδριάνου Πανελληνίου καὶ ἀγωνοθέτης τῶν μεγάλων Πανελληνίων Κλαύδιος Ἰάσων καὶ οἱ Πανέλληνες τοῖς ἐπὶ τῆς Ἀσίας Ἕλλησι...) (5) » aut imperatorum ipsorum rescripta. A principibus enim, ætate præsertim Antoninorum à quibus major concessa est provinciarum conciliis potestas, ad Asiæ commune non rarò rescriptum est. Inter quæ memorabimus rescriptum Antonini ad Κοινὸν Ἀσίας de medicis (6) ; M. Aurelii, de christianis (7); Caracallæ,

(1) Philostrat,, V. *S.*, 1, 21, 6.
(2) *C. Th.*, XII, 12, 8-12.
(3) *Ibid.*, XII, 12, 7.
(4) Tacit., *Ann.*, IV, 15.
(5) Waddington, *I. d'As. min.*, 8, 67.
(6) Modestinus, in *Dig.*, XXVII, 1.
(7) Euseb., *H. E.*, IV, 13.

κοινόν

de necessitate imposita proconsuli per mare Asiam applicandi « καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον primam attingendi (1). »

(1) Ulpianus, in *Dig.*, I, 16, 4, § 5.

PARS TERTIA

QUOMODO SIT ASIÆ COMMUNE DISSOLUTUM

CAPUT PRIMUM.

DISSOLUTAM ESSE ANTÈ DIOCLETIANI TEMPUS ASIAM PROVINCIAM ATQUE IDEÒ ASIÆ COMMUNE.

Ut ex universis Asiæ provinciæ civitatibus constabat Asiæ commune, ità facilè intelligitur eo tempore Asiæ commune fuisse dissolutum, quo et ipsa provincia diversas in partes abierit. In illa celeberrima *Notitia dignitatum* (anno circiter CCCC), imperat vicarius diœceseos Asianæ :

1. consulari Pamphyliæ,
2. consulari Lydiæ,
3. præsidi Cariæ,
4. præsidi Lyciæ,
5. præsidi Lycaoniæ,
6. præsidi Pisidiæ,

7. præsidi Phrygiæ Pacatianæ,
8. præsidi Phrygiæ Salutaris;

proconsul autem Asiæ propriæ et ipse regit Asiam propriam et imperat consulari Hellesponti et præsidi Insularum.

In *codice* autem *Veronensi* (anno circiter CCIIIC), constat diœcesis Asiana ex Pamphylia, Phrygia prima, Phrygia secunda, Asia propria, Lydia, Caria, Insulis, Pisidia, Hellesponto.

Pamphyliam et Pisidiam et Lyciam et Lycaoniam (quæ ex vicinis provinciis vicario diœceseos Asianæ sunt attributæ) si detrahas, apparet Asiam proconsularem tertio sæculo divisam esse in septem provincias, scilicet :

1. Asia propria,
2. Lydia,
3. Caria,
4. Phrygia prima seu Pacatiana,
5. Phrygia secunda seu Salutaris,
6. Hellespontus,
7. Insulæ.

Asiam proconsularem in illas septem partes vulgò dicitur abiisse tempore Diocletiani (1). Sed, ut nuper probatum est alias provincias jam antè illud tempus disjunctas esse (2), sic Asiam proconsularem constat,

(1) Mommsen, *Verz. der R. Provinzen von* 297, *Abh. d. Berl. Acad.*, 1862, S. 506. Marquardt, *Staatsverwaltung*, I, p. 347. Waddington, *I. d'As. Min.*, p. 663.

(2) Jullian, *Revue historique*, 1882, t. XIX, p. 331-375 : *La réforme provinciale attribuée à Dioclétien.*

nostrâ quidem sententia, aut antè Diocletianum fuisse divisam aut saltem diversas provinciæ partes jàm indè ab ætate Caracallæ principis vix molli vinculo mansisse congregatas. Jàm tempore Vespasiani ex Insulis altera provincia fuerat constituta; quos enim novimus asiarchas insulis Thera et Co oriundos (1), ii ad Cæsarum ætatem referendi sunt. Cæteras autem regiones, è quibus effictum erat Pergamenum regnum et deinde Asia proconsularis, Ioniam scilicet et Cariam et Phrygiam et Lydiam et Mysiam, variis ex indiciis cognoscimus inter se non arctissimè coaluisse. Ut in conventibus juridicis distribuendis Romani, testante Strabone, populorum affinitatis nullam rationem habuerant (2), sic ex illis regionibus, quas ipsa natura constituit, aliquid semper duravit, ità ut tertio et quarto sæculo tandem prævaluerit illa antiqua divisio, et conventus cedere coacti sint regionibus, homines naturæ. Ut olim Francia nostra in provincias à natura ipsa divisa fuit, et hodiè quoque aliquid superest ex illis veteribus provinciis : sic Asiani, in conventus juridicos distributi, tamen et singuli singularum suarum regionum meminere. Cujus rei testimonium etiam primo post Christum sæculo reperias; nàm et in *Actis apostolorum* de Phry-

(1) Cf. partem II, caput IV, § 2.

(2) Strabo, XIII, 4, 12 : « ὥστε καὶ τὰ Φρύγια καὶ τὰ Καρικὰ καὶ τὰ Λύδια καὶ ἔτι τὰ τῶν Μυσῶν δυσδιάκριτα εἶναι, παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα· εἰς δὲ τὴν σύγχυσιν ταύτην οὐ μικρὰ συλλαμβάνει τὸ τοὺς Ῥωμαίους μὴ κατὰ φῦλα διελεῖν αὐτούς, ἀλλὰ ἕτερον τρόπον διατάξαι τὰς διοικήσεις ἐν αἷς τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται καὶ τὰς δικαιοδοσίας. »

gia, utpote de peculiari provincia mentio fit (1), et tamen inter septem ecclesias Asiæ, ad quas mittitur Apocalypsis, numeratur Laodicea Phrygiæ (2); undè concludam non quidem Phrygiam illo tempore pro peculiari provincia habitam esse, at certè veteris illius Phrygiæ memoriam nondùm fuisse abolitam. Imò verò, principe Septimio Severo, item Caracalla, Tarsi in Cilicia prodierunt nummi singulares in quibus legitur : « Κοινὸν Τάρσου. — Κοινὸς (ἀγὼν) τῶν τριῶν ἐπαρχιῶν ; » fuerunt autem hæ tres « ἐπαρχίαι, » Isauria Ciliciæ, Caria Asiæ, Lycaonia Cappadociæ (3). Ex eo, quòd tres regiones, quæ ad tres diversas provincias pertinebant, communem ludum unà celebraverint, apparet varias partes, è quibus asiaticæ provinciæ constitutæ fuerant vix secum eo tempore coaluisse. Quod clarius patescet ubi demonstraverimus eadem ipsa ætate rursus constituta esse et frequentata apud singulas Asiæ proconsularis gentes antiqua concilia et ludos.

§ 1.

Indè ab initio tertii post Christum sæculi singula in singulis Asiæ proconsularis partibus concilia esse vel constituta vel restituta.

E Mysia, Lydia, Caria, Phrygia constabat Asia

(1) *Apostol. acta*, II, 9; XVI, 6 : « Judæam, Cappadociam, Pontum et *Asiam; Phrygiam*, Pamphyliam, Ægyptum, etc. »

(2) *Apocalyps.*, I, 11; III, 14.

(3) Eckhel, IV, p. 429.

proconsularis; in Lydia fuere Lydi proprii et Iones; in Mysia Mysi continentes et insula Lesbus. Ex antiquis testimoniis et monumentis deprehendere licet fuisse Ioniæ, Lydiæ, Cariæ, Phrygiæ, Mysiæ, Lesbo, suos cuique, communes ludos et concilium. Illa diversarum Asiæ provinciæ regionum Κοινά antiquitus instituta, ut florente totius Asiæ communi fuerant vel abolita vel pæne desueta, sic Asia provincia diversas in partes paulatim abeunte rursus instaurata sunt et certatim frequentata. Quod testantur quum scriptores et marmora, tùm præsertim nummi qui secundo et tertio sæculo in Asia provincia sunt icti.

De Ionia abundant testimonia. Jàm enim Strabo narrat apud Clazomenas in honorem Alexandri Magni ludos ab Ionibus communiter celebratos fuisse (1). Teste Diodoro, ex urbibus Ionum tredecim legati coibant plerumque ad Mycalam promontorium (2). Sæpius etiam in Erythræis nummis homines quidam dicuntur « ἱερεὺς Ἰωνίας, » « ἱερεὺς Ἰώνων, » etiam « ἀρχιερεὺς ΙΓ΄ πόλεων » (3). Principe Antonino, item M. Aurelio, icti sunt singulari privilegio (προνομίᾳ) nummi maximi moduli cura Claudii Frontonis, qui et ἀρχιερεὺς ΙΓ΄ πόλεων et deinde asiarcha totius provinciæ electus est (4). Tertio sæculo, Colophone prodierunt nummi, Treboniani Galli capite signati, tredecim

(1) Strabo, XIV, p. 953.
(2) Diodor., XV, 49.
(3) Mionnet, *Ionie*, 3, 4, 143, 144. Waddington, *I. d'As. Min.*, 57.
(4) Mionnet, III, p. 61; *Suppl.*, VI, p. 79. Lenormant, *Monn. d. l'antiq.*, III, p. 125.

figuris adstantibus, id est tredecim Ioniæ civitatum, ornati, qui inscribuntur Κοινὸν Ἰώνων (1). Postremò, Gordiano principe, Samii sese dixerunt πρώτους Ἰωνίας (2).

In Lydia, teste quodam lapide, Sardes convenere legati è quatuordecim civitatibus (3). Loquitur Philostratus de concilio Sardibus habito, quod ex centum synedris constabat (4). Indè à Caracalla principe usque ad Gordianum, Sardibus icti sunt nummi inscripti « Ἀσίας Λυδίας Ἑλλάδος Α. Μητρόπολις, » qui ad idem commune referre videntur (5).

Cares in commune quoddam conveniebant quod dicitur in marmoribus Mylasæ « τὸ ἔθνος τὸ Χρυσαορέων » aut « σύστημα Χρυσαορέως » (6). Festi dies et concilium habebantur haud procul à Stratonicea, in templo Jovis Chrysaorei, de quo etiam apud scriptores : « ἐγγὺς δὲ τῆς πόλεως τὸ τοῦ Χρυσαορέως Διὸς κοινὸν ἁπάντων Καρῶν, εἰς ὃ συνίασι θύσοντές τε καὶ βουλευσόμενοι περὶ τῶν κοινῶν· καλεῖται δὲ τὸ σύστημα αὐτῶν Χρυσαορέων, συνεστηκὸς ἐκ κωμῶν » (7).

Phrygibus etiam ludos fuisse communes testantur nummi civitatis Apameæ qui alii capitibus Neronis, Agrippinæ, Vespasiani, alii Caracallæ, alii Plautillæ,

(1) Mionnet, *Ionie*, 143.
(2) Mionnet, *Iles d'Ionie*, 235.
(3) Waddington, *I. d'As. Min.*, 620.
(4) Philostr., V. S., I, 22, 4.
(5) Eckhel, III, 115 et seq.
(6) Waddington, *I. d'As. Min.*, 399, 537.
(7) Strabo, XIV, 2, 25.

ornati sunt et inscripti « Κοινὸν Φρυγίας » (1). Laodiceæ quoque, in altera regionis præcipua urbe, quæ posteà Phrygiæ Pacatianæ metropolis facta est, exstant nummi in quibus expressæ sunt tres mulieres, quarum prima, scilicet inscripta « Φρυγία, » stat duo sigilla manu tenens; secunda, scilicet in medio posita, turrita quidem, parvum victoriæ signum effert; tertia autem, inscripta « Καρία, » stat contrà Phrygiam : qui quidem nummi principe Caracalla icti sunt (2).

In Mysia eodem tempore constitutum sæpè laudatur concilium et ludi qui apud Ilium Novum agebantur. Appellatur in marmoribus iliacis aut « τὸ κοινὸν Ἰλιέων » aut « Ἰλιεῖς καὶ αἱ πόλεις αἱ κοινωνοῦσαι τῆς θυσίας καὶ τοῦ ἀγῶνος καὶ τῆς πανηγύρεως » (3).

Lesbus insula indè ab altero post Christum sæculo habuit et peculiare concilium et ludos atque etiam sacerdotes communes et lesbarchas. De quibus haud rara mentio fit tùm in lapidibus tùm in nummis M. Aurelii et Commodi inscriptis « Κοινὸν Λεσϐιέων » (4).

Constat igitur, quod monstrare nobis in animo fuit, inde ab initio tertii post Christum sæculi singula

(1) Eckhel, IV, p. 430. Mionnet, *Phrygie*, 239, 251, 252, 253.

(2) Eckhel, III, 160. Mionnet, IV, p. 329.

(3) Waddington, *I. d'As. Min.*, 1743b. Schliemann, *Troja*, 1884, p. 259 : « τὸ συνέδριον τῶν ἐννέα δήμων. » Quod κοινὸν constat fundatum quidem esse tertio vel quarto ante Christum sæculo, rursus autem constitutum esse temporibus imperii romani.

(4) Eckhel, IV, p. 429. Mionnet, *Lesbos*, 21, 22 et seq. Perrot, *Mélanges*, p. 174. *Rev. arch.*, XXVIII, p. 8.

in singulis Asiæ proconsularis partibus concilia esse vel constituta vel restituta. Proinde, ut ex asiarcharum catalogo nostro (1) concludendum est non ante Valeriani tempus τὸ Κοινὸν Ἀσίας fuisse dissolutum, sic tamen ex eo, quod jam antea resurrexerant propria singularum regionum Κοινά, existimandum est id vinculum, quo diversæ partes Asiæ proconsularis olim inter se coiverant, jam principibus Septimio Severo et Caracalla multùm esse debilitatum.

§ 2.

De metropolibus Asiæ.

De titulo metropolis obtinendo multæ olim Asiæ proconsularis civitates acriter contenderunt; de explicando multi nostra ætate doctissimi viri acriùs (2). In Bithynia cùm Nicæa hunc honorem et ipsa esset assecuta, Nicomediam, quæ sola caput provinciæ eatenùs habita esset, ità iratam esse traditur ut Valentiniano imperatori fuerit ad eam rescribendum (3). Et in anthologia græca irridetur illa Græculorum æmulatio :

ἔστω μητρόπολις πρῶτον πόλις, εἶτα λεγέσθω
μητρόπολις· μὴ νῦν, ἡνίκα μηδὲ πόλις (4).

(1) Cf. suprà, partem II, caput IV, § 2.

(2) Eckhel, *De metropolibus* (*Doct. numm.*, IV, 280 et seq.). Pauly, *Real Encyclopädie s. v.* Marquardt, I, p. 333 et seq., etc. Spanheim, *De præst. et usu num.*, I, 618.

(3) *Concil.* ed. Par., vol. IX, p. 103.

(4) Jacobs, *Anthol. Græc.*, III, p. 94, nº 7.

Quibus tamen testimoniis diffidendum est. Nàm, ut facilè concedo fieri potuisse, præsertim quarto vel quinto post Christum sæculo, ut ille titulus in vanum honorem verteretur, ità non possum quin existimem metropolis nomen quodammodò pertinere ad illas singularum provinciarum regiones quæ, mutata imperii conditione circà Diocletiani tempus, et ipsæ provinciæ peculiares factæ sint. Quod jàm enitar ut confirmem.

Vulgò dicitur (1) metropoles Asiæ provinciæ fuisse plures. Quod verum est, si discernas varia tempora; si non distinguas, minùs verum. Nàm præter Ephesum, quæ reipsa fuit provinciæ caput (2), nullam civitatem Asiæ novimus quæ se aut in lapidibus aut in nummis metropolim dixerit ante principem Hadrianum. Hadriano statuam Athenis dedicavit civitas Miletus « ἡ μητρόπολις τῆς Ἰωνίας Μιλησίων πόλις » (3). Metropolim Thyatiram Lydiæ memorat Ptolemæus, qui scripsit circà tempus Antonini (4). Principe Commodo, Smyrna dicitur in marmoribus metropolis, qui titulus deindè in ejus lapidibus et nummis, principe Caracalla, omittitur (5). Eodem titulo gloriantur Sardes in nummis Septimii Severi (6), Pergamum (7)

(1) Eckhel, III, 116. Marquardt, *Staatsverwaltung*, I, p. 343 et seq.
(2) *C. I. G.*, 2988, 2990, 2992, etc. Eckhel, II, 521.
(3) *C. I. A.*, III, 480.
(4) Ptolem., *Geog.*, V, 2, 16.
(5) *C. I. G.*, 3202-3206, 3197.
(6) Mionnet, IV, 128, 138. *C. I. G.*, 3467.
(7) Mionnet, V, p. 459. *C. I. G.*, 3538.

et Lampsacus (1) et Cyzicus (2) in nummis Caracallæ; de Synnada Phrygiæ, ætas incerta (3). Constat igitur antè Hadrianum unam Ephesum, scilicet caput provinciæ, metropolim esse dictam; Hadriani tempore, Miletum metropolim Ioniæ, qui titulus brevì ereptus esse videtur; Antonini tempore, Thyatiram, cujus in locum Septimius Severus Sardes in Lydia subrogavit; ætate Caracallæ, Pergamum, Lampsacum, Cyzicum. Proinde metropoles in singulis Asiæ proconsularis partibus per illud tempus creatæ sunt, quo jàm Asiam proconsularem diversas in regiones ab ipsa natura constitutas paulatim redeuntem monstravimus. Cùm brevì eò ventum esset ut Ephesi jura contemnerentur, imperator Caracalla coactus est de hoc rescribere, teste Ulpiano :

« Magni enim facient provinciales servari sibi con-
» suetudinem istam et hujusmodi prærogativas ;
» quædam provinciæ etiam hoc habent, ut per mare
» in eam provinciam proconsul veniat, ut Asia, sci-
» licet usque adeò ut imperator noster Antoninus Au-
» gustus (Caracalla) ad desideria Asianorum rescrip-
» serit proconsuli necessitatem impositam per mare
» Asiam applicare καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον primam
» attingere (4). »

Jàm verò animadvertendum est quod fuerit ipsum

(1) Eckhel, II, 458. Mionnet, II, 566.

(2) *C. I. G.*, 3497-3665. Dumont, *Archiv. des miss.*, 3ᵉ série, III, p. 145, nᵒ 64ᵃ.

(3) Perrot, *C. rendus*, 1876, p. 74.

(4) Ulpian., *Dig.*, I, 16, 4, § 5.

Metropoli

nomen : scilicet illæ civitates appellantur *metropoles nationum* apud Modestinum (μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν) (1), et legitur apud Procopium : « εἰς μητροπόλεως ἀξίωμα ἦλθεν · οὕτω γὰρ πόλιν τὴν πρώτην τοῦ ἔθνους καλοῦσι Ῥωμαῖοι, » et aliàs « μητρόπολιν καλεῖν νενομίκασι τοῦ ἔθνους » Ῥωμαῖοι (2). » Quin etiam exstat rescriptum quoddam imperatoris Antonini ad Asiæ commune concilium de numero medicorum municipalium quibus concedi posset ἀτέλεια; distinguuntur autem in illo rescripto civitatum Asiæ tria genera, scilicet minores (τὰς ἐλάττους πόλεις) et conventuum capita (τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν) et « μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν (3). » Undè statuendum est non vani honoris causa appetitum esse metropolis titulum, et ad illa ἔθνη, id est regiones et nationes diversas è quibus constabat Asia proconsularis, quodam modo pertinere.

Quòd si tanta ope enitebantur maximæ civitates ut edicto principis dicerentur metropoles, causam fuisse existimo quòd in civitates ejusdem regionis nonnulla auctoritate fruerentur singulæ metropoles. Nàm et legitur apud Spartianum : « Antiochenses » inter hæc ità odio habuit (Hadrianus) ut Syriam à » Phænice separare voluerit ne *tot civitatum metro*» *polis* Antiochia diceretur (4) ; » et in nummis civitatum qùæ eo titulo gloriatæ sunt, quædam imagines ad illam auctoritatem referre videntur. Etenim, prin-

(1) *Dig.*, XXVII, 1, 6, § 2.
(2) Procop., *De æd.*, V, 4. *De bell. goth.*, II, 23.
(3) Modestin., *Dig.*, XXVII, 1, 6, § 2.
(4) Spartian., *Vita Hadriani*, 14.

Metropoles.

cipe Severo, in nummo quodam Neocæsareæ, urbis Ponticæ, effícti sunt sex genii muliebres; et Laodiceæ in Syria, principe Elagabalo, circùm mulierem turritam sedentem stant aliæ mulieres turritæ tres (1); quibus geniis indicari credam urbes ejusdem regionis metropoli subjectas.

Imò, si cogites civitates Asiæ, quæ secundo et tertio sæculo titulum metropoleos acceperint easdem plerasque circà Diocletiani tempus reipsa metropoles provinciarum diœceseos asianæ factas esse, concedendum est illud nomen non vani honoris causa fuisse appetitum, sed ad nationes diversas sive « ἔθνη, » è quibus constabat Asia proconsularis, potiùs pertinere.

(1) Eckhel, IV, 281.

CAPUT II.

DE CONCILIIS DIŒCESEOS ASIANÆ QUARTO POST CHRISTUM SÆCULO.

De conciliis quæ exeunte tertio post Christum sæculo in singulis diœceseos Asianæ partibus constituta sunt, pauca nobis fuerunt tradita, quanquàm et concilia et archierosyna et ἀρχιερεῖς et asiarchæ (1) et ludi in *Constitutionibus* imperatorum memorantur. Quæ indè queunt deprehendi, summatìm exponemus.

§ 1.

Exstitisse quarto et quinto sæculo in singulis diœceseos asianæ partibus provincialia concilia et sacerdotia.

Universis provinciis quæ in catalogo veronensi et in Notitia dignitatum sunt inscriptæ, fuisse quarto et

(1) Hos *asiarchas*, qui interdum apud Justinianum memorantur, exstitisse existimo non in Asiana diœcesi sed in Asia proprie dicta sacerdotes et ludorum præsides.

quinto sæculo sua propria concilia, suos sacerdotes, non potest dubitari. Nàm et imperatorum *Constitutiones* quæ in *Codice Theodosiano* ad illam materiam pertinent, plerumque ad omnes provincias scriptæ sunt; et in quibusdam regionibus, præsertim in Africanis (1), certum est nullam provinciam suo concilio caruisse; atque etiam in Italia, ubì provinciarum modo habita est, constat singulas regiones suo concilio, suo sacerdote ornatam esse (2). Undè fatendum est ea, quæ præsertim religionis causa essent instituta, deinde ob utilitatem publicam, etiam abeunte pristina religione, esse aut servata aut restituta.

De provincialibus Asiæ propriæ, Lydiæ, Cariæ, Phrygiæ Pacatianæ, Phrygiæ Salutaris et Hellesponti conciliis ferè nihil nobis traditum est; novimus autem ab imperatore Maximino præfectum esse cuique provinciæ sacerdotem unum aut « ἀρχιερέα (3), » et Juliano principe (4) functum esse sacerdotio Theodorum quemdam in Asia propria, Chrysanthium in Lydia. Proinde non multum periclitetur qui existimet in cæteris etiam provinciis, quæ ex ruina proconsularis Asiæ sunt natæ, scilicet in Caria, in utraque Phrygia et Hellesponto similia exstitisse sacerdotia.

(1) Pallu de Lessert, *Les assemblées provinciales et le culte provincial dans l'Afrique romaine*, p. 67 et seq.

(2) Marquardt, *Staatsverwaltung*, I, p. 516.

(3) Euseb., *Histor. eccles.*, VIII, XIV, 9.

(4) *Juliani Epistolæ*, 49 et 63. De Chrysanthio Lydiæ sacerdote, vide Eunap., p. 57 et 111.

du diocèse d'Asie

In hoc autem omninò differunt provincialia sæculi quarti concilia a communi totius Asiæ proconsularis concilio, quod inde ab exeunte tertio sæculo ad religionem nihil pertinent civitatum legati, sacerdotes nihil ad concilia (1). Proinde et Maximinus imperator provinciæ sacerdotem quodam (pace tua dixerim) paganorum episcopatu ornare potuit; et in codicibus Theodosiani et Justiniani, quotiès memorantur provincialia concilia, liquet ea spectavisse tantummodo ad publicas res administrandas. Unde intelligitur sæculo quidem secundo aut tertio christianos omnes simul de conciliis et de ludis et de sacerdotiis paganis male dixisse; sæculo autem quarto christianos scriptores nunquàm invectos esse in provinciarum concilia, quibus religio jàm nihil intererat, nec in festos conventus, sed sæpius iratos esse in eos ludos qui more prisco cærimoniis inaugurabantur (2).

(1) Ut divorum numero habiti sunt primi imperatores christiani atque etiam novum sacerdotium Flaviæ gentis à Constantino fuit in Africa creatum (Aurelius Victor, *De Cæsaribus*, 40); sic tamen, et principibus Constantini filiis, atque iterùm, exeunte quarto post Christum sæculo, scimus interdictum esse paganis pristina religione, publicata et templa et templorum vectigalia (*Cod. Theod.*, *De paganis*, XVI, 10, 19). Unde concludendum est provinciarum concilia et sacerdotia, ut mansisse, sic tamen mansisse mutata.

(2) Multum abest ut omnes christiani exemplum illius Salviani secuti sint, qui in libro *De gubernatione Dei* inscripto (VIII, 2, 3) adversus primores Carthaginis homines provinciale sacerdotium appetentes invectus est. Etiam ab Innocente Romæ urbis episcopo iis sacerdotio christiano interdicitur « qui post baptismum vel coronati fuerint vel sacerdotium » quod dicitur sustinuerint et editiones publicas celebraverint » (Mansi, *Sacrorum conciliorum nova collectio*, III, p. 1069). Hoc tamen est animadvertendum christianos scriptores potiùs in cærimonias, quæ ludis miscerentur, quàm in ipsos ludos invehi solere; quod intelligitur è Ter-

Quare ex Aurelio Victore et lapidibus et Codice Theodosiano apparet non commisisse imperatores ut concilia et ludos in honorem Romæ et Augusti celebratos eadem interdictionis formula involverent ac cærimonias olim eis permixtas. Nàm sivit princeps Constantinus ut in Italia et in Africâ templa et ludi statuerentur « in honorem Flaviæ gentis : ea observatione » perscriptâ, ne ædes nostro nomini dedicata cujus» quam contagiosæ superstitionis fraudibus pollua» tur (1). » Prohibuere quidem Theodosius alter et Valentinianus ne procumberetur antè statuas imperatorum (2); at in constitutione anni 399 imperator Honorius, qui (ut ipse loquitur) « profanos ritus jàm » salubri lege submoverat, » ipse addit : « Festos » conventus civium et communem omnium lætitiam » non patimur submoveri. » Statuit igitur ludos « secundùm veterem consuetudinem » posse celebrari, sed « absque ullo sacrificio atque ulla super» stitione damnabili (3). » Undè intelligitur quam ob causam duravisse constet in provinciis diœceseos asianæ ludos communes, et de asiarchis fieri men-

tulliani truci cloquentia : « Quid ergo mirum (inquit in libro *De spectaculis* inscripto, XI), si apparatus agonum idolatria conspurcat, de » coronis profanis, de sacerdotalibus præsidibus, de collegiariis mi» nistris? »

(1) Aurelius Victor, *De Cæsaribus*, 40. De Rossi, *Bull. di arch. christ.*, 1867, p. 69. Orelli-Henzen, 5580.

(2) *C. Th.*, *De imaginibus imperialibus*, XV, 4.

(3) *Ibid.*, *De paganis*, XVI, 10. Etiam laudatur in lapide quodam (*C. I. L.*, VI, 1736) proconsul Africæ Julius Festus Hymetius, anno 368, quod « studium sacerdotii provinciæ restituerit ut nunc à competitoribus » adpetatur quod anteà formidini fuerit. »

tionem in codice Theodosiano, et Sardibus exstitisse etiam quinto sæculo, regnante Leone, imperatorum templa (1).

De sacerdotibus, ludis, conciliis asiaticarum provinciarum nonnulla supersunt testimonia, quæ altera pertinent ad provincias omnes totius imperii, altera peculiariter ad asianas.

De eligendo provinciæ sacerdote constituit Theodosius anno 386 : « In consequenda archierosyna ille » sit potior qui patriæ plura præstiterit nec tamen a » templorum cultu, observatione christianitatis, abs- » cesserit (2). » Addidit et anno 395 : « Cùm super » ordinando sacerdote provinciæ publicus esset ex » more tractatus, idem nostrâ auctoritate decretum » est ut ad subeunda patriæ munera dignissimi et » meritis et facultatibus eligantur ; nec hujusmodi » nominentur qui functiones debitas implere non » possint (3). » Videtur autem fuisse provinciæ sacerdos, sicut et prioribus sæculis, a civitatum legatis electus, ab imperatore confirmatus. Sic enim intelligendum esse reor illud « ἀποδείξας » verbum quod legitur apud Eunapium : « ὁ δὲ (Julianus) ἀρχιερέα ἀποδείξας τὸν ἄνδρα (Chrysanthium) καὶ τὴν γυναῖκα τῆς Λυδίας (4) ; » quippe verbum idem adhibetur in marmoribus multò priorum temporum, quibus tempori-

(1) *C. I. G.*, 3467. *C. Th.*, XV, 9, 2.
(2) *C. Th.*, *De decur.*, XII, 1.
(3) *Ibid.*, XII, 1, 148.
(4) Eunap., p. 57.

bus constat ab Asiæ communi electum fuisse sacerdotem (ἀρχιερεὺς Ἀσίας ἀποδεδειγμένος) (1).

Sacerdos autem provinciæ, quinto post Christum sæculo, non jàm concilio provinciali de rebus publicis agenti præfuit nec communibus templis. Nàm in concilio præsedisse manifestum est quemdam ex legatis imperatoris, aut ipsum provinciæ rectorem aut aliquem subrogatum ; et identidem per quartum sæculum proscriptæ sunt veteres cærimoniæ, postremò exeunte sæculo templa publicata. Nihil igitur auctoritatis indè a morte Juliani relictum est sacerdotibus, nisi cura ludorum.

Ludorum provincialium mentio fit in tribus constitutionibus annorum 412, 413, 414, quibus jubentur sacerdotales non magis Carthagine commorari quàm ludi postulent (2), et in singulari quâdam constitutione, quâ tantum pecuniæ quantum voluerint in ludos impendere conceditur « asiarchis et cæteris quorum nomen votiva festivitatis solennitas dedicavit (3). »

Cùm ad ludos edendos maximæ pecuniæ essent conferendæ nec ei, qui foret electus, abnuendi relicta esset facultas, privilegio quodam singulari sacerdotes multis muneribus immunes fuisse scimus. Quod liquet ex ea constitutione Theodosii alterius et Valentiniani : « majoribus sacerdotes fatigantur expensis » in quarum solatium indemnem esse convenit dig-

(1) *C. I. G.*, 2741.
(2) *C. Th.*, *De decur.*, XII, 1, 174-176.
(3) *Ibid.*, XV, 9, 2.

du diocèse d'Albi

» nitatem (1). » Inter munera, quorum immunitate donati erant, hæc novimus :

1° Munera civilia, tutela, etc. (2);

2° Munera inferiora, scilicet in municipio (3);

3° Tormenta in judiciis (4);

4° Præposituram mansionum (ex constitutione anni 335) (5) ;

5° Præposituram annonarum (ex constitutione anni 337) (6) ;

6° Præbitionem tironum (ex constitutione anni 428 (7). Aliàs et dicuntur eadem conditione frui, quâ *comites* (8). Cùm inter nobiliores censerentur, sacerdotibus non erat concessum ut cum filia ancillæ justas nuptias jungerent; quo jure adhùc eis interdicebatur anno 454 (9). Constat igitur sacerdotes multis privilegiis ornatos esse, quanquàm multa ab Arcadio (anno 399) in Orientis provinciis abolita sunt (10).

Exstitit enim, quarto et quinto sæculo, ordo *Sacerdotalium*. Multùm est inter doctos disputatum, utrùm sacerdotales intelligendi sint qui sacerdotio functi essent, an ad sacerdotium nihil pertineant (11).

(1) *Ibid.*, *De tironibus*, VII, 13.
(2) *Dig.*, *De excusat.*, XXVII, 1.
(3) *C. Th.*, XII, 5, 2.
(4) *Ibid.*, XII, 1, 75.
(5) *Ibid.*, XII, 1, 21.
(6) *Ibid.*, XII, 5, 2.
(7) *Ibid.*, VII, 13.
(8) *Ibid.*, XII, 1, 75.
(9) *Ibid.*, tit. L. *C. Just.*, V, 27.
(10) *C. Th.*, 16, 10, l. 14.
(11) Hirschfeld, *Annali di corr. arch.*, 1866, p. 74. De Rossi, *Bull. di*

Ego illum ordinem conflatum esse existimem et ex illis qui reipsa sacerdotium exercuissent, et ex aliis qui inter sacerdotales fuissent allecti : qui mos et in Græcia et Romæ semper fuit observatus. In celeberrimo lapide Thamugadensi, qui inscriptus est ætate Constantii aut Juliani, *Sacerdotales* cedunt quidem viris *clarissimis*, anteeunt verò *curatorem* et *Duos viros* (1) ; in *Constitutione* quadam Honorii et Theodosii alterius, inscripti sunt post viros *Inlustres*, *Spectabiles*, *Senatores*, *Clarissimos*, sed antè provinciæ ipsius primores, scilicet *Principales* et *Decuriones* (2).

In concilium provinciæ conveniebant et legati civitatum, et quicumque ad munera præcipua in suo municipio evecti erant, et provincialium ditissimi qui dicuntur *Possessores*. Hoc tamen inter synedros utrosque intererat, ut sederent *Honorati*, *Possessores* autem in concilio stare deberent (3). Ipsos synedros penès erat jus decernendi quo tempore et quo in loco proximum concilium haberetur (4); nec ulla vetandi potestas præsidi provinciæ permissa (5). Etiam extrà ordinem conveniri poterat, ea tamen conditione utì id sineret præfectus prætorio (6).

Constitutione anni 355 synedris omninò conces-

arch. christ., 1878, p. 31. Godefroy, *Paratitl. ad C. Th.*, XVI, 10 et 18. Marquardt, *R. Staatsverwaltung*, I, p. 506.

(1) *C. I. L.*, VIII, 2403.

(2) *C. Th.*, *De hereticis*, XVI, 5.

(3) *Ibid.*, XII, 12, 12; 1, 4.

(4) *Ibid.*, XII, 12, 13.

(5) *Ibid.*, XII, 12, 1-8, 9-12.

(6) *Ibid.*, XII, 12, 12-13. Ammian., XXVIII, 6.

sum est ut desiderata apertè exprimerent et per legatos imperatori denuntiarent (1). Decreverunt etiam Gratianus et Valentinianus ut è singulis conciliis tres legati ad principem mitterentur (2), interdùm et cursu publico uti possent ; nec præsidi provinciæ licebat epistolam aut legere aut deprehendere (3). Qui in concilio electus erat legatus, invitus etiam, non poterat non proficisci, provincialium quidem impendio (4). Singulare sanè quod testatur Ammianus Marcellinus, à principe quodam legatum, metu quidem præsidis tacentem, ut verum loqueretur, esse compulsum (5). Nec rarò ad conciliorum *Decreta*, *Desideria*, *Postulata* rescripserunt ipsi principes.

Narrat Ammianus, cùm imperio grave periculum immineret, undique acta esse concilia et certatim imperatori subvenisse (6). Accidit tamen ut illa provinciarum concilia pænè desueta languerent ; ab Honorio principe restituta esse scimus (7). De conciliis sæpius agitur apud Sidonium Apollinarem (8) et in *Codice Theodosiano ;* deinde fit nulla mentio, ità ut ex illo titulo *Codicis Theodosiani* qui « *de legatis et decretis* » inscribitur, præter unam *de conciliis extraordinariis* legem, nihil supersit apud Justinianum.

(1) *C. Th.*, XII, 12, 1.
(2) *Ibid.*, XII, 12, 7.
(3) *Ibid.*, XII, 12, 9.
(4) *Ibid.*, XII, 15.
(5) Ammian., XXX, 5.
(6) *Ibid.*, XVIII, 6.
(7) Pardessus, *Diplomata*, I, p. 3.
(8) Sidon. Apoll., *Epistol.*, I, 6-7. Leblant, *Inscr. chrét. de Gaule*, n° 545 A.

Undè existimandum est post annum 438, antè annum 533 provincialia concilia tùm in reliquis provinciis tùm in asiaticis fuisse abolita vel desueta.

§ 2.

An fuerit totius asianæ diœceseos commune.

Ut singulis imperii provinciis fuêre sua concilia, sic ab imperatoribus constitutum est ut aut pluribus aut etiàm universis diœceseos ejusdem provinciis in majus concilium convenire liceret (1). E communibus hujus generis unum tantummodò nobis satìs notum est, scilicet Arelatense, ad quod pertinebant septem gallicæ provinciæ. In id concilium, cui præsidebat præfectus prætorio Galliarum, conveniebant et omnium civitatum legati et septem provinciarum *judices* (id est præsides), et *honorati* (id est qui, ad maxima munera provecti, *clarissimorum* dignitate fruerentur), et *curiales* et *possessores*. De arelatensi concilio multa nobis tradita sunt, quæ hìc memorare à materià nostrâ alienum est (2).

Fuitne totius asianæ diœceseos commune, in locum illius Κοινοῦ 'Ασίας subrogatum? Exstitisse tale concilium non absurdum est existimare : nàm ex universis partibus, è quibus constiterat Asia proconsularis, episcopos christianos Ephesum sæpiùs con-

(1) *C. Th.*, XII, 12, 9.
(2) *Ibid.*, XX, 12, *De legat et decret.*; I, 16, *De officio rectoris prov.*, etc.

du diocese d'Asie

venisse scimus, teste Evagrio et Theodoreto (1); et, sæculo quarto et quinto, episcopus Ephesiorum, *exarcha* nomine, provinciis pluribus præfuit (2); et liquet Asiæ christianos instituta pleraque à paganis esse mutuatos. Sed creatum esse paganum totius asianæ diœceseos commune, ut est verisimile, sic tamen adhùc certa desunt argumenta.

§ 3.

Quid in Asiana diœcesi temptaverint imperatores Maximinus et Julianus.

Haud rarò fit ut, cùm duæ gentes inter se de imperio diù certent, altera ab altera vicissim instituta mutuetur. Quod paganis et christianis Asiæ accidisse constat. Nàm in Asiâ et christiani inde ab ætate Pauli apostoli religionem Romæ et Augusti in constituenda ecclesia sua imitati sunt; et ipsi pagani quarto sæculo, cùm jàm deficere vires suas sentirent, illam ecclesiarum « ἱεραρχίαν, » quam ex communibus proconsularis Asiæ religionibus sumptam christiani perfecissent, sibi ipsi, tutelæ suæ causâ, adoptaverunt.

In Asia proconsulari summus provinciæ sacerdos iis solùm sacerdotibus præerat, quibus provincialium Romæ et Augusti templorum cura mandata es-

(1) Euagr., *H. E.*, II, 5. Theodorit., *H. E.*, IV, 8.
(2) Cf. *caput* III

set. Sed, magis atque magis gliscente ea religione, paulatìm factum erat ut omnibus deis indigenis aliquis imperator daretur socius, et hìnc provincialis Romæ et Augusti religio, illìnc municipalis Divorum pænè cæteras religiones, præsertim in Asia, complecteretur (1). Indè venit in mentem paganorum ut sacerdotibus provinciarum in omnes omnium deorum antistites, quod anteà jam factum esse scimus et in Ægypto (2) et Cypri (3), auctoritatem concederent, et unicæ christianorum religioni unicam paganorum opponerent.

Teste Eusebio, primus tale consilium iniit, incipiente quarto post Christum sæculo, Maximinus imperator. Etenim, quò acriùs christianos consequeretur, cœpit singulis in civitatibus exstruere templa, ævo labentia instaurare, sacerdotes per civitates et pagos constituere; sacerdotibus singularum provinciarum universis præficere summum sacerdotem, unum quidem et electum inter primores virorum qui omni honorum serie claruissent. Imò sacerdoti provinciæ concessa militum vis et custodum : « Τῷ καθ' ἡμῶν σφοδρότερον ἢ οἱ πρόσθεν καὶ πυκνότερον ἐπετίθετο διωγμῷ (ait Eusebius), νεὼς κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐγείρειν καὶ τὰ χρόνου μήκει καθῃρημένα τεμένη διὰ σπουδῆς ἀνανεοῦσθαι προστάττων, ἱερέας τε εἰδώλων κατὰ πάντα τόπον καὶ πόλιν ·

(1) Cf. Renan, *Saint Paul*, p. 28-29.

(2) « ἀρχιερεύς πάσης Αἰγύπτου. » Cf. Letronne, *Journal des Savants*, 1841, p. 747.

(3) « ἀρχιερεὺς τῶν κατὰ τὴν νῆσον ἱερῶν » (Waddington, *I. d'As. Min.*, 2781).

καὶ ἐπὶ τούτων ἑκάστης ἐπαρχίας ἀρχιερέα, τῶν ἐν πολιτείαις ἕνα γέ τινα τὸν μάλιστα ἐμφανῶς διὰ πάσης ἐμπρέψαντα λειτουργίας, μετὰ στρατιωτικοῦ στίφους καὶ δορυφορίας ἐκτάσσων (1). »

Opus à Maximino inchoatum, Constantino principe interruptum, Julianus, præsertim in asiaticis provinciis, instauravit. Supersunt ejus imperatoris epistolæ scriptæ ad Arsatium Galatiæ et ad Theodorum Asiæ propriæ sacerdotem (2). Juliano principe sacerdos Lydiæ designatus est Chrysanthius, cui socia conjux in sacerdotio data est (3). Non dubium est cæteris provinciis, in quas divisa esset Asia proconsularis, id est Cariæ, Phrygiæ Pacatianæ, Phrygiæ Salutari et Hellesponto, præfectum esse quoque suum sacerdotem.

Ut Maximini, ità Juliani tempore, provinciæ sacerdos (ἀρχιερεύς) præerat civitatum singularum sacerdotibus (ἱερεῖς), horum autem auctoritati erant obnoxii pagorum et vicorum antistites. Inferiores sacerdotes provinciæ sacerdos eligebat, confirmabat imperator. Ad ea et ad similia pertinent epistolæ multæ Juliani, quibus aut Callixenæ cuidam decernitur matris Cybelæ sacerdotium; aut paganus ἱερεὺς designatur, abjurata Christi religione, quidam epis-

(1) Euseb., *H. E.*, VIII, xiv, 9.

(2) Juliani *Epistolæ* 49 et 63.

(3) Eunap., p. 57 : « ὁ δὲ (Julianus) ἀρχιερέα ἀποδείξας τὸν ἄνδρα (Chrysanthium) καὶ τὴν γυναῖκα τῆς Λυδίας καὶ ὑπ' ἐκείνοις ἐπιτρέψας εἶναι τῶν ἄλλων τὴν αἵρεσιν; » p. 111 : « ὁ δὲ Χρυσάνθιος τὴν ἀρχιερωσύνην τοῦ παντὸς ἔθνους λαβών. »

copus; aut reprehenditur ἱερεὺς, de cujus culpâ retulerat ad imperatorem ἀρχιερεύς; aut sacerdoti, qui unum ex suis antistibus verberasset, sacerdotio interdicitur per tres menses; aut jubetur ἀρχιερεὺς constituere, christianorum instar, xenodochia per singulas civitates (1), etc.

Liquet igitur principe Juliano constitutam esse in singulis asiaticis provinciis paganam (tuâ pace dixerim) ecclesiam, quæ ab ecclesia christianorum, si nihil ultrà speciem consideres, non multùm differre videbitur. Sed illi paganæ Maximini et Juliani machinæ nihil inest præter formam inanem; non subest spiritus ille planè vividus et juvenilis quo ardebant adhuc ecclesiæ christianæ. Nequicquam asianæ civitates celebraverunt nomen Juliani et ei statuam erexit « ἡ λαμπρὰ τῶν Μιλησίων μητρόπολις καὶ τροφὸς τοῦ Διδυμέου Ἀπόλλωνος (2). » Victus est imperator Julianus à Galilæorum secta et ab illo Gregorio qui, Nazianzo oriundus, et juvenis adhuc Athenis, Juliani comes, audiverat rhetores et deinde adversùs eumdem in Asia semimortuos deos suscitantem duas *Invectivas* scripsit.

Ut provinciarum asiaticarum communia et sacerdotes Julianus conatus erat restituere, confirmare, vertere in christianos; ità, defuncto Juliano, christiani omninò vicerunt ut in locum paganorum sua concilia, suos sacerdotes subrogarent, et omnem τοῦ Κοινοῦ Ἀσίας hæreditatem sibi vindicaverunt.

(1) Juliani *Epistolæ* 63, 49, 21, 62.

(2) *Bull. de corr. hellén.*, I, p. 288, n° 65.

CAPUT III.

QUID EX ILLIS PAGANORUM ASIANORUM INSTITUTIS IN ASIANAM ECCLESIAM SIT TRANSLATUM.

Iisdem temporibus, quibus dissoluta est Asia proconsularis et Asiæ commune, asianæ creverunt ecclesiæ, quæ in constituenda Christi religione multum contulerunt et ante Constantinum imperatorem obtinent locum facile primum; nam et Paûli et Timothei et Johannis et Philippi multorumque episcoporum illustrium nominibus gloriantur, et in Asia acta sunt primo et secundo et tertio post Christum sæculo pleraque episcoporum concilia et synodi, et in Asia constituta est illa « ἱεραρχία, » quam deindè partes imperii romani cæteræ acceperunt. Constat autem Asiæ christianos ex paganorum institutis multa sui juris fecisse; ità ut indè a quarto sæculo asiani christiani potiùs quàm pagani conciliis suis et sacerdotiis illud vetus Κοινὸν Ἀσίας videantur repræsentare, et postremò, labefactata Romanorum vi, nutante funditùs imperio, dissolutis aut desuetis in Asia provinciarum conciliis, soli christiani sacerdotes sacerdotum

Romæ et Augusti hæreditatem sibi vindicasse viderentur.

Vulgata est opinio quarto demùm sæculo constitutas esse christianorum ecclesias, ità ut in easdem provinciarum et civitatum formas, quæ circà tempus Diocletiani in imperio essent definitæ, nova religio, ut ità dicam, sit infusa. In provinciis autem Asianæ diœceseos liquet christianarum ecelesiarum formam esse tempore Constantini principis potiùs definitam quàm inventam. Multa enim ad secundum aut tertium à Christo sæculum referenda sunt. Exempla duo proferam :

1° Testatur quidam lapis Laodiceæ in Phrygia actam esse provincialem σύνοδον in quam convenerint omnes provinciæ episcopi, numero scilicet XXV (ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας τῶν κέ ἐπισκόπων) (1). Traditur autem à Plinio in conventum, qui primo sæculo Cibyratica diceretur, convenisse totidem civitates : « Sed priùs terga et mediterraneas jurisdic-
» tiones indicasse conveniat. Una appellatur Cibyra-
» tica ; ipsum oppidum Phrygiæ est. Conveniunt eò
» XXV civitates celeberrima urbe Laodicea (2). »
Tot igitur civitates ætate Vespasiani in eum conventum conveniebant, quot quarto sæculo in synodum provincialem episcopi. Inter primas conditam esse ecclesiam Laodiceæ testis est ipse Paulus apostolus qui ex hac ipsa urbe misit priorem epistolam *ad Timo-*

(1) *C. I. G.*, 8953.
(2) Plin., *H. N.*, V, 29.

theum inscriptam. Quare existimem indè à temporibus Plinii et apostoli Pauli non multùm esse mutatas regionis illius ecclesias.

2° Civitates ubi actos esse scimus communes Asiæ proconsularis ludos et τὸ Κοινὸν Ἀσίας secundo vel tertio sæculo, ferè omnes sunt eædem in quibus christianorum episcoporum concilia habita fuerunt. Quod ut confirmem, utrarumque urbium nomina conferam in hanc tabulam :

Κοινὸν Ἀσίας II° et III° sæculo (ex lapidibus et nummis (1).	Concilia et Synodi episcoporum II° et III° et IV° et V° sæculo (ex Notitiis Ecclesiasticis et actis conciliorum et lapidibus) (2).
Ephesus	Ephesus (annis 196, 245, 401, 431, 449, 476).
Smyrna	Smyrna.
Sardes	Sardes.
Philadelphia	Philadelphia (anno 242).
Tralles (?)	
Laodicea	Laodicea.
Synnada (?)	Synnada (anno 231).
	Hierapolis (anno 173).
Pergamum	Pergamum (anno 152).
Cyzicus	Cyzicus (anno 376).
Lampsacus (?)	Lampsacus (anno 364).

(1) Cf. *partem* II, *caput* I.

(2) Cf. *Acta conciliorum* et *Notitiarum tabulas*, et *C. I. G.*, 8961, 8618, 8958, 8953.

Undè concludendum esse videtur in iisdem civitatibus ubi in honorem Romæ et Augusti festi dies Asiæ proconsularis agebantur, jàm secundo sæculo acta esse sacerdotum Christi concilia, qui mos et quarto et quinto sæculo servatus est.

Proinde in Asianis ecclesiis certum in modum definita sunt Constantini tempore, quæ jàm prioribus sæculis fuerant instituta : utroque tempore constat paganarum provinciarum, conciliorum, sacerdotiorum rationem sæpiùs esse habitam.

Ut Petrus apostolus in epistola priore, quæ ad fratres in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia sparsos scripta est, non nisi summatìm memorat Asiam proconsularem (1), ità contrà, auctore Paulo, ea provincia intrà paucos annos facta est Syriæ æmula, novæ religionis alterum caput (2). Paulus in itinere tertio, anno 54-55, Ephesum attigit, ubi plures annos commoratus est. Per omnes Asiæ provinciæ partes semina fidei lata sunt, ità ut brevì in præcipuis civitatibus, quæ quidem pleræque conventibus juridicis præsidebant, et Smyrnæ et Pergami et Thyatiræ et Sardibus et Philadelphiæ, forsitàn et Trallibus ortæ sint ecclesiæ, majori Ephesiorum ecclesiæ suffragantes, sicut Epheso metropoli conventus totius Asiæ (3). Ex his urbibus præcipuis profecti sunt qui deindè in diversas civitates τὸ εὐαγγέλιον tulere.

(1) Petri *Epistolæ*, I, 1, 1.

(2) « L'Asie devint ainsi en quelque sorte la seconde province du royaume de Dieu » (Renan, *Saint Paul*, p. 353).

(3) Cf. Renan, *Saint Paul*, p. 346.

Indè factum est ut et Ephesi episcopo in cæteros, majorum civitatum episcopis in episcopos minorum quædam auctoritas jàm primis temporibus sit concessa : nàm, adhùc vivente Paulo, et Timotheus universis ecclesiis Asiæ, et Epaphras evangelista pluribus Phrygiæ præerat (1). Similem in modum jàm constitutum erat τὸ Κοινὸν Ἀσίας, cujus non meminisse Paulum non potest admitti ; nàm et eo tempore sola Romæ et Augusti religio totam provinciam amplectebatur, et Paulus Ephesi tres annos commoratus est, et *apostolorum Acta* testantur eum asiarchis, id est iis qui summo provinciæ sacerdotio quinquennali functi erant, familiariter usum (2). Adde quòd in ecclesiis, quæ à Paulo conditæ sunt, ac præsertim Ephesi et in Asiâ (3), inventa est illa « ἱεραρχία, » definita sacerdotum dignitas. Ipse Paulus ad eas solùm ecclesias scripsit, quæ in metropolibus provinciarum exstarent, scilicet *ad Thessalonicenses*, *ad Corinthios*, *ad Ephesios*, *ad Romanos*, quæ quidem civitates fuere metropoles Macedoniæ, Achaiæ, Asiæ, Italiæ. Sed liquet id, quod de Epheso loquitur in epistola *ad Ephesios* inscripta, de tota Asia proconsulari intelligendum (4).

(1) Renan, *Saint Paul*, p. 360.

(2) *Apostolorum Acta*, XIX, 31.

(3) « Ephèse sera désormais l'une des métropoles du christianisme, et le point où s'effectueront ses plus importantes transformations » (Renan, *Saint Paul*, p. 431). Cf. *id.*, *Marc-Aurèle*, p. 177 : « L'Asie proconsulaire continuait d'être la première province du mouvement chrétien ; » et *Eglise chrétienne*, p. 94, 95.

(4) Cf. Pauli *Epistol. ad Rom.*, *ad Corinth.*, *ad Galat.*, etc.

Præsidem ecclesiis, ut Titum Creticis, sic Timotheum asianis Paulus præfecit, testibus Eusebio et Johanne Chrysostomo (1). Duæ supersunt epistolæ, quas Paulus, alteram Laodicea Phrygiæ, alteram Roma scripsit ad Timotheum præsidem ecclesiarum Asiæ provinciæ; in quibus epistolis quædam leguntur præcepta de sacerdotibus eligendis, adjuvandis, monendis.

Paucos post annos, Johannes Ephesi, Philippus Hierapoli in Phrygia consederunt, quorum operâ ecclesiarum Asiæ fama undique lata est, nec multùm Syriæ et ipsi Judææ cessit Asiæ proconsularis auctoritas (2). Præses totius provinciæ christianorum salutatus est Johannes, quem quidem non solùm Ephesi, sed Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ ecclesiis præfuisse scimus. Teste Eusebio, vitam produxit usque ad tempora Trajani, et sequenti sæculo ejus sepulchrum videre erat Ephesi, in loco qui nunc dicitur *Aïa-Solouk* et ubi ædificata erat celeberrima Ephesiorum basilica (3).

Epistola, quæ nunc dicitur *Apocalypsis*, ad eas septem ecclesias scripta est quæ in præcipuis provinciæ civitatibus erant constitutæ, scilicet Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardium, Philadelphiæ, Laodiceæ (4). In iisdem locis convenire solitum

(1) Euseb., *H. E.*, III, 4, Joh. Chrysost. *Homilia I. ad Tit.*
(2) Cf. Renan, *L'Antechrist*, p. 344, 347.
(3) Cf. Euseb., *H. E.*, III, 31, 3; V, 24, 3; VII, 25, 16.
(4) *Apocalyps.*, I, 11.

esse probavimus τὸ Κοινὸν Ἀσίας et exstitisse provincialia Romæ et Augusti templa, provinciales sacerdotes, excepta Thyatira Lydiæ de quâ nondùm constat (ea tamen civitas à Ptolemæo in geographia μητρόπολις appellatur et in ea icti sunt cistophori) (1). In Apocalypsi verò illa Bestia, horrida decem cornubus diademate ornatis et septem capitibus in quorum fronte legitur βλασφημία (scilicet Σεβαστὸς sive *Augustus*), Romæ et Augusti religionem sine dubio repræsentat; his autem capitibus et cornubus designantur provinciales Romæ et Augusti sacerdotes et templa, apud quæ conditæ fuerant septem ecclesiæ (2).

Sed ut in illam Bestiam, scilicet τὸ Κοινὸν Ἀσίας, invecti sunt proconsularis Asiæ Christiani; sic eam imitati sunt, et ejus instar ecclesias suas instituerunt, quod jàm Antonini et M. Aurelii tempore est animadvertere.

In locum enim illius summi Romæ et Augusti sacerdotis (ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας) subrogare christiani parant Ephesiæ ecclesiæ præsidem, cui jàm concessa erat in Asiæ cæteros quædam auctoritas. Tempore quo Victor ecclesiam romanam regebat, Polycrates, episcopus Ephesiorum, toti Asiæ præerat (τῶν δὲ ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἐπισκόπων ἡγεῖτο Πολυκράτης) et omnes provinciæ presbyteros in synodum convocavit (3). Idem et omnium Asiæ proconsularis episcoporum no-

(1) Ptolemæi *Geog.*, V, 2, 16. Cf. *partem* I, *caput* II, § 1.
(2) Cf. Renan, *L'Antechrist*, p. 413, 414.
(3) Euseb., *H. E.*, V, 24.

mine epistolam scripsit ad episcopum et ecclesiam Romæ (1). Et cùm orta esset inter christianos *de Pascha* dissensio, Victor omnes Asiæ provinciæ ecclesias eadem proscriptione involvit (τῆς Ἀσίας πάσης ἅμα ταῖς ὁμόροις ἐκκλησίαις τὰς παροικίας ἀποτέμνειν) (2). Quæ concilia secundi sæculi sæpissimè recordati sunt episcopi sequentium sæculorum, ambigentes de jure præsidendi et « περὶ ἱεραρχίας. »

Inferioribus autem sacerdotibus provinciæ, qui appellabantur « ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας ναῶν τῶν ἐν Ἐφέσῳ, ἐν Περγάμῳ, etc., » similes videntur majorum ecclesiarum præsides. Etenim, et jàm primo sæculo Epaphras in Phrygia, Philippus Hierapoli pluribus ecclesiis præfuerunt; et secundo sæculo Melito Sardium episcopus, Polycarpus Smyrnæorum, quem Romam missum esse scimus ut cum Aniceto colloqueretur et cujus exstant septem epistolæ ad diversas civitates scriptæ, aliique episcopi ejusdem ætatis non solùm ecclesiam suam rexerunt, sed etiam minores quæ in vicinis civitatibus erant fundatæ.

Singulis aut saltem plerisque in civitatibus, ut templorum quæ municipii nomine Augustis dedicata erant cura delata erat ad flamines sive « σεβαστοφάντας » sive « ἱερεῖς, » ità fuerunt electi a christianis episcopi, ad quos pertinerent omnia urbis et pagorum et vicorum sacra. Primus Ignatius in epistola, quam tempore principis Antonini misit ad Smyrnæos, uti-

(1) Euseb., *H. E.*, III, 31.
(2) *Ibid.*, *H. E.*, V, 24, 9.

tur verbo « ἐπίσκοπος (1). » Idem in epistolis *ad Magnesios* et *ad Philadelphenos* scriptis nominavit episcopos, presbyteros, diaconos; undè concludendum est jàm Antonino principe fuisse pænè perfectam in Asiâ christianarum ecclesiarum « ἱεραρχίαν (2). »

Ut paganis provinciarum conciliis mos erat non solùm ad imperatorem et ejus legatos sed etiam ad aliarum provinciarum concilia epistolas mittendi, ità scribere insueverunt aliæ ad alias christianorum ecclesiæ; et episcopi inclytissimi, ipsius Pauli exemplum secuti, per epistolas monere, reprehendere, laudare aut suarum aut alienarum ecclesiarum christianos, testibus Ignatio et Polycarpo, quorum supersunt epistolæ *ad Magnesios*, *ad Philadelphenos*, *ad Smyrnæos* et alias civitates Asiæ.

Constat igitur primo et secundo sæculo christianos Asiæ proconsularis, simul atque *Bestiam*, id est « τὸ Κοινὸν Ἀσίας, » in *Apocalypsi* insectarentur, enisos esse ut in ejus locum subrogarent Christi religionem et sacerdotes. Principe M. Aurelio, adversa steterunt τὸ Κοινὸν Ἀσίας et Asiana Ecclesia. Nàm cùm Justinus suam pro Christianis defensionem imperatori M. Aurelio misisset, de Christianorum conditione rescripsit princeps ad concilium Asiæ commune. « Τοιαύτης ἠξίωσε τὸ Κοινὸν τῆς Ἀσίας διατάξεως · Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος Σεβαστός, Ἀρμένιος, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος

(1) Quod nomen in sepulchris episcoporum non antè tertium sæculum deprehenditur. Cf. de Rossi, *Bull. di arch. christ.*, 1864, nº 7.

(2) Ignatii, *Epistolæ ad Magnes.*, VI; *ad Smyrn.*, VIII; *ad Philadelph.*, I.

τὸ τρίτον, τῷ Κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν... » Sequitur edictum de Christianis quod in Asiæ communi concilio Ephesi inscriptum est (προετέθη ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσιας) (1).

Tertio post Christum sæculo, quo tempore proconsularem Asiam vidimus paulatim esse dissolutam et postremò plures in provincias divisam, iisdem ferè vicibus objecta sunt et τὸ Κοινὸν Ἀσίας et asianorum Ecclesia. Ut, discedente in varias partes Asia provincia, civitates plures civile metropolis nomen adeptæ sunt et tandèm ex singulis regionibus peculiares provinciæ constitutæ; ità labefactata est Ephesii episcopi auctoritas, nec longè abesse tempus videtur quo omnibus metropolium episcopis, metropolitanis scilicet, similis potestas concedetur.

Ut ipsum imperium circà Diocletiani tempus, sic ecclesia christiana, Constantino principe, certâ ratione constituta est, suum cuique jus attributum, definita sacerdotum « ἱεραρχία. » Sed, ut in Occidente multa nova quarto sæculo, Orientis instar, disposita sunt; sic in Oriente, præsertim in Asianæ diœceseos provinciis longè plura videntur eo tempore confirmata esse quàm mutata. Dignus sanè qui memoretur ille titulus concilii Tyanæ in Cappadocia habiti, in quo dicuntur potissimùm legenda esse decreta episcoporum Asiæ (2).

(1) Euseb., *H. E.*, IV, 13.

(2) Cf. Lenain de Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*, t. VI, p. 791, note 81. « Que ce sont les décrets des évêques d'Asie, plutôt que d'Occident, que le concile de Tyane exhorte à lire. »

Ad rem nihil intèrest hìc explicare quâ ratione patres quarti sæculi, præsertim in conciliis Nicæno, Antiocheno, Taurinensi aliisque (1), ecclesiam statuerint. Satis sit ponere, in Asia paucissima nova tùm deprehendi. Sicut in cæteris provinciis, civitatibus singulis suus attributus est « ἐπίσκοπος ; » singularum provinciarum metropolibus, suus « ἐπίσκοπος μητροπολίτης, » qui posteà dictus est « ἀρχιεπίσκοπος ; » metropolitæ episcopos, episcopis sacerdotes pagorum et vicorum concessum est jus ordinandi et regendi. Quod in Asia jam tertio et secundo sæculo usitatum esse monstravimus.

Primum in Orientis ecclesia gradum obtinuerunt et « πατρίαρχαι » et « ἔξαρχοι, » sic tamen ut patriarchæ exarchus cederet (2). *Patriarchæ* solummodò constituti Alexandriæ, Antiochiæ, Constantinopoli (Hierosolymæ enim constat non dignitatis sed solâ honoris causâ creatum esse) ; *exarchi* consederunt Heracleæ, Cæsareæ, Ephesi. Exarcho Ephesio aliquamdiù obnoxii fuerunt omnes asianæ diœceseos metropolitæ : quæ prærogativa adempta est in *acto*

(1) *Concilii Nicæni, canon. IV :* « Ut metropolitani episcopi maximè vel præsentia vel authoritas habeatur. » *Canon. VIII* : « Manente nihilominus et metropolitani ipsius provinciæ dignitate. » *Canon. V :* « Ab omnibus episcopis provincialibus concilia agi debere. » Cf. *Concil. Antioch., canon. IX*, etc.

(2) *Concil. Nicæn., canon. VI.* Cf. Fleury, *Hist. ecclés.* : « Les évêques de Rome, d'Alexandrie et d'Antioche avaient donc juridiction sur les provinces voisines, comme l'évêque d'Ephèse dans l'Asie proprement dite, ceux de Césarée en Cappadoce, d'Héraclée en Thrace, de Carthage en Afrique. » Cf. Bingham, *Origines sive antiquitates ecclesiasticæ*. Halis, 1723, t. III, p. 376 et seq.

primo concilii chalcedonensis (anno 451). Singulæ provinciæ diœceseos asianæ posthac Constantinopolitano patriarchæ fuerunt attributæ, Ephesio metropolitæ vanus honos tantùm relictus, quem deinde etiam amisit (1).

Quo die dignitate sua spoliatus est ille ephesius « ἔξαρχος, » summi Asiæ paganæ sacerdotis (ἀρχιερεὺς Ἀσίας) ultimus hæres, eo die verè dici potest omninò dissolutum esse illud vetus Asiæ proconsularis commune (Κοινὸν Ἀσίας), Augusto principe constitutum, tertio post Christum sæculo labefactatum, christianorum Asiæ maledictis oneratum, postremò episcopis asianis exemplo propositum.

(1) Cf. Daude, *Hierarchia eccles.*, cap. IV.

FINIS.

CONSPECTUS

Procemium. 1

PARS PRIMA

QUOMODO SIT ASIÆ COMMUNE CONSTITUTUM

CAPUT PRIMUM

Quid in constituendo Asiæ proconsularis communi effecerint primùm Augustus, deindè Hadrianus et Antoninus, postremò Severus et Caracalla.. . . . .

CAPUT II

Quibusnam ex civitatibus conflatum sit Asiæ commune.. 17

§ 1. — Civitatum Asiæ neocoratum non ad provincialem cultum Romæ et Augusti, sed ad municipalem Augustorum pertinere. 18

§ 2. — Ex universis provinciæ civitatibus conflatum esse Asiæ commune.. 27

PARS SECUNDA

DE COMMUNIBUS ASIÆ TEMPLIS, SACERDOTIBUS, SACRIS ET CONCILIO

CAPUT PRIMUM

De communibus Asiæ templis. 33

CAPUT II

De communibus Asiæ sacerdotibus.. 41

CAPUT III

De summo Asiæ sacerdote.. 47

CAPUT IV

An iidem atque summi sacerdotes Asiæ existimandi sint qui dicuntur Asiarchæ?.. 55
§ 1. — Magnos Asiæ ludos non (ut vulgò dicitur) quotannis, sed quinto quoque anno fuisse celebratos.. 56
§ 2. — Summum Asiæ sacerdotem, annuum quidem, quinto quoque anno magnis Asiæ ludis præfuisse, undè asiarcham appellatum. 58

CAPUT V

Quinam fuerit sacerdotibus Asiæ cursus honorum. 68

CAPUT VI

De communibus Asiæ sacris et ludis.. 73

CAPUT VII

De communi Asianorum arca. 80

CAPUT VIII

De communi Asiæ provinciæ concilio; quid in rebus publicis valuerit.. 83

PARS TERTIA

QUOMODO SIT ASIÆ COMMUNE DISSOLUTUM

CAPUT PRIMUM

Dissolutam esse antè Diocletiani tempus Asiam provinciam atque ideò Asiæ commune.. 91
§ 1. — Indè ab initio tertii post Christum sæculi singula in sin-

gulis Asiæ proconsularis partibus concilia esse vel constituta vel restituta.. 94
§ 2. — De metropolibus Asiæ. 98

CAPUT II

De conciliis diœceseos Asianæ quarto post Christum sæculo.. . . 103
§ 1. — Exstitisse quarto et quinto sæculo in singulis diœceseos Asianæ partibus provincialia concilia et sacerdotia.. . 103
§ 2. — An fuerit totius Asianæ diœceseos commune. 112
§ 3. — Quid in Asiana diœcesi temptaverint imperatores Maximinus et Julianus.. 113

CAPUT III

Quid ex illis paganorum asianorum institutis in asianam ecclesiam sit translatum.. 117

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. 17 kal. nov. ann. MDCCCLXXXV, Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.